DE

CAROLI TIMOTHEI ZUMPTII

VITA ET STUDIIS

NARRATIO

AUG. WILH. ZUMPTII.

Bei uns ist im vergangenen Jahre erschienen:

AUGUSTI WILHELMI ZUMPTII

COMMENTATIONUM EPIGRAPHICARUM

ad antiquitates Romanas pertinentium volumen.

Gr. 4. X und 502. cart. Preis 5 Thlr. 10 Sgr.

Der vorliegende Band der epigraphischen Abhandlungen von dem schon durch ähnliche Arbeiten bekannten Verfasser enthält ganz neue und bisher noch nicht publicirte Untersuchungen über verschiedene Gegenstände der römischen Antiquitäten, die ganz oder gröfstentheils auf dem Studium der lateinischen Epigraphik beruhen. Die erste Abhandlung (von S. 1—69) *fastorum municipalium Campanorum fragmentum restitutum et explicatum* beschäftigt sich mit einem der wichtigsten Denkmale einer Municipalstadt Italiens, das, weil das Original verloren gegangen, aus einer bisher unbekannten Abschrift wiederhergestellt und erläutert wird. Es ist aus der Zeit der Schlacht bei Actium und die einzige Quelle für die Consuln jener Zeit. Die Untersuchung hat es daher mit der Zeitdauer des Triumvirats von Augustus und den Consuln von 34—29 v. Chr. zu thun und wendet sich dann zu einer besondern Besprechung über das Wesen der sogenannten *praefecti juri dicundo*. Die zweite Abhandlung (von S. 71—158) *de quinquennalibus municipiorum et coloniarum* handelt über die censorische Behörde der Municipalstädte, deren Verbindung mit den obersten *magistratus* überhaupt entwickelt und bewiesen wird. Es werden sodann die Geschäfte jener Municipalcensoren, namentlich in Bezug auf ihre Aufsicht über die Decurionen der Städte, behandelt, so dafs die wichtigsten Punkte des Municipalwesens überhaupt erläutert werden; zum Schlufs werden die Geschäfte der *curatores* und ihre historische Entwickelung dargestellt. Die dritte Abhandlung (von S. 159—192) *de IIII viris municipalibus* enthält die Entdeckung, dafs die *IIII viri* in den Municipalstädten von den *II viris* nur dem Namen, aber nicht der Zahl oder den Geschäften nach verschieden sind. Die vierte Abhandlung *de coloniis Romanorum militaribus libri quattuor* ist die umfangreichste. Sie enthält in den ersten 3 Büchern eine Geschichte der römischen Colonieen von 100 v. Chr. bis auf den Untergang derselben im 3. Jahrhundert, so dafs das erste Buch in 7 Capiteln die *leges agrariae* bis auf Sulla, das zweite in ebenfalls 7 Capiteln die Deductionen Cäsars und der Triumvirn, das dritte die Colonieen August's und der übrigen Kaiser umfafst. Das vierte Buch handelt in vier Capiteln über das Wesen der Militärcolonieen, wie sie gegründet wurden, aus was für Leuten sie bestanden, unter welchen Bedingungen das Land angewiesen wurde, endlich über das *jus coloniarum*, namentlich über das vielbesprochene *jus Italicum*, dessen Wesen auf eine neue Art begründet wird. Der Inhalt des Buches ist so mannig-

fach und berührt so sehr die wichtigsten Fragen der römischen Antiquitäten, dafs selbst diejenigen, die an den in den Ueberschriften der Abhandlungen genannten Gegenständen kein specielles Interesse nehmen, doch vielfach Belehrung und Anregung finden werden.

DE

CAROLI TIMOTHEI ZUMPTII

VITA ET STUDIIS

NARRATIO

AUG. WILH. ZUMPTII.



Hopfgarten del.

Tu quod sis esse velis nihilque malis.

C. G. Zumpt

DE

CAROLI TIMOTHEI ZUMPTII

VITA ET STUDIIS

NARRATIO

AUG. WILH. ZUMPTII.

ACCEDUNT CAROLI TIMOTHEI ORATIONES LATINAE SEX.

BEROLINI
IN LIBRARIA DÜMMLERIANA
1851.

Etsi verendum prope erat, ne hic libellus, quia nec vir summus, de quo dicturi sumus, commendatione ulla indiget, nec quae nos de eo scripsimus si vitiosiora sunt, hoc externo quasi ornamento emendari possunt, omni prooemii ratione facile carere posse videretur, committere tamen noluimus, ut nudam nec tamquam forensi aliqua veste indutam narrationem nostram dimitteremus. Intelleximus etiam unam maxime rem hoc loco esse vel excusandam vel commemorandam. Relicta enim plurimorum consuetudine rediimus ad veterem illum, qui olim in magno honore erat, morem, quo viri in litteris nostris clari Latine laudabantur atque ad posteritatis memoriam propagabantur. Equidem vix ullum cogitari posse arbitror argumentum, quod etiam nunc Latine si tractaris, minus vituperationem invenire debeas quam hoc. Non dicam, quod C. T. Zumptii nomen non modo per patriae nostrae fines magnum habetur, verum etiam apud exteros latissime pertinet, quibus nisi Latine scribendo recte consuli nequeat, neque hoc afferam, Latine ut memoria huius fortasse apud pauciores qui nunc vivunt celebretur, ita diuturniorem apud eos fore, qui post futuri sunt, sed primum hunc ipsum constat Latine scripsisse et intellexisse eximie, cuius studia ac virtutes qui alia ac qua ipse praestitit oratione celebranda suscipiat, magis venia quadam indigere videatur. Deinde quid tandem habet viri docti vita, quod multitudinis ab Latinis litteris alienae animos capere eosque iucunditate aliqua afficere possit? Absunt ab ea ancipites rerum

eventus, absunt temporum varietates, absunt fortunae vicissitudines, nec, si quid fuit in Zumptii vita, quod cum oblectatione etiam indoctiorum exponatur, aut tradi id posteris vehementer opus est aut nos adeo sumus vel impudentes vel incuriosi, ut posthabita eorum quibuscum vivimus verecundia dicere velimus. Tum illud etiam ad Latinae linguae usum praeclare accidit, quod quicunque nomen Zumptianum cum caritate aliqua recordantur, etiamsi in litteris nostris non perstiterunt, tamen non possunt non aliquod Latinitatis studium retinere, qui si quid de huius vita audire cupient, id ea potissimum oratione, cuius causa primum cognoverunt, sibi offerri non indignabuntur. Denique nostris adiici cupiebamus ipsius Caroli Timothei orationes sex Latine habitas, quas si Germanicae narrationi addidissemus, insignis quaedam extitisset discrepantia ac merito reprehendenda. Latuerunt autem fere hae orationes Zumptianae; nam quattuor etsi editae sunt in programmatis, in paucorum tamen manus pervenerunt, quarta et quinta nondum usquam typis descriptae sunt. Quas viris doctis denuo proponi oportebat non solum propter admirabilem qua excellunt ubertatem atque elegantiam orationis, verum etiam quod ex his melius quam ex ulla narratione doctrinae Zumptianae rationem percipi existimabamus. Hoc igitur Latine scribendi consilium sive excusabitur sive contemnetur, res certe ipsas non laudatorum more, ut gloriae huius, de quo dicimus, quamvis eum omni laude dignissimum et fuisse putemus et videri velimus, stulte inserviremus, sed vere, sed simpliciter, sed ita ut litterarum dignitati convenire arbitrabamur, narravimus, quarum lectione iis, qui hominem ipsum cognoverunt, memoriam amici praestantissimi renovari, iis, qui non cognoverunt, specimen viri et optimi et de litteris eximie meriti exhiberi cupimus.

Antiquissimus est et omnium temporum ac populorum consuetudine receptus mos, ut, si quis vir magnus et clarus obierit, laudes eius celebrentur et quibus eas virtutibus meruerit examinetur: qui nisi in ipsa natura societatisque nostrae quadam necessitate esset positus, non sic accidere videremus, ut neque ulla sit gens paulo ad humanitatem provectior, apud quam non laudationum funebrium aliquod reperiatur genus, et qui populi omni doctrina ac litteris floruerunt, ab hoc potissimum genere ad alia deinceps gradum fecerint. Neque enim eorum causa, qui vita defuncti iudicia nostra nihil curant, facimus, ut eorum virtutis meminerimus, neque ut gratiam quandam iis referamus, ea quae gesserunt recordamur, quae ipsa gratia referenda si quaereretur, magis ad nos quam ad illos pertineret, sed ut eorum laude intuenda atque imitanda ad rem gerendam ipsi excitemur. Qua maxime re nititur omnis hominum ad id, quod bonum verumque est, progressio: siquidem parum valet unius hominis ingenium, quod brevi vitae spatio coartatum vix patitur quemque paulum procedere, at omnium coniuncta et per multas aetates quasi propagata ingenia nihil prope est in rebus humanis quod adipisci nequeant. Quare cum omnium, quotquot et in republica et in litteris laudem invenerunt, diligenter retinenda sit memoria, tum haud scio an nulli id hominum generi magis sit faciendum, quam his qui appellantur philologi. Nam poëtam quidem satis bo-

num licet esse eum, qui quales ante se poëtae fuerint nesciat, licet historiam recte et vere scribere, qui reliquos ante se historicos ignoret, licet rerum causas exquirere morumque formandorum praecepta statuere, qui alii quid egerint negligat, licet denique in republica utiliter versari, qui ante se quid gestum sit aliisque in civitatibus acciderit contemnat; ipsisque his in artibus si qui maioris laudis cupidi cum suis studiis aliorum studiorum curam coniungant, in alienam quasi possessionem invasisse videantur: philologiam vero, quae non magis in inveniendo, quam in recognoscendo et colligendo contineatur, nisi ad ea quae prior quisque egerit ac praestiterit diligenter conservanda incumbatur, tueri nullo modo possis.

Quare qui nuper immatura morte decessit, Carolus Timotheus Zumptius, vir multiplici philologiae laude insignis, litterarum nostrarum videtur interesse ut debita memoria ne careat. Cuius mortis dolor eo acerbior debuit accidere, quod tempus nostrum magna rerum vicissitudine notabile non modo eorum, qui a republica remoti in otio versari litterisque solis operam dare debent, animos paululum obtundit atque a studiis alieniores reddit, verum etiam nimis multos viros doctrina florentes nescio quo pacto absumpsit. Nam nostrarum quidem litterarum in nostra gente duo clarissima lumina intra breve spatium extincta doluimus, unum Godofredum Hermannum Lipsiensem, alterum Fridericum Iacobsium Gothanum, magnos utique philologos veteribusque illis, a quibus ars nostra condita est, simillimos. Quorum ille multiplici doctrina, acumine, denique varietate quadam ingenii instructus plurimas partes litterarum nostrarum amplificavit, hic, cui incredibilem quandam elegantiam ac suavitatem natura tribuerat, vere natus esse videbatur ad nostram aetatem antiquitatis quasi colore imbuendam. Quamquam horum utrique contigit, quod paucis omnino hominibus, ut vita, ut studiis, ut gloria denique quam peperissent perfruerentur eaque aetate decederent, qua qui mortuos esse doleret, communem hominum sortem paucorum annorum spatio finitam queri, ipsos velut omnibus, quae mortalibus bona tribui possunt, defunctos beatos praedicare

deberet. At in Zumptio accedit, quod hac aetate obiit, qua nec aliorum studiorum hominibus animi alacritas minuitur et philologi, qui nisi multa legerint et examinarint et cognorint, nihil admodum proficiant, contueri quodammodo disciplinam suam et ex media depromptam scientiam proferre solent. Quo maiore ipse dignus erit et laude et admiratione, quod iis annis extinctus, quibus reliqui in medio campo versari atque exerceri consuerunt, hoc tamen assecutus est, ut cuivis possit comparari.

Est igitur, quod litterae nostrae hunc sibi ereptum esse querantur nec vereor, ne non inveniatur, qui earum causa suscepta virtutibus huius commemorandis antiquitatis studium incendere velit. Nos quidem, ut de hoc scribere statueremus, aliae etiam causae moverunt prope necessariae. Quodsi consanguinitas valet multum in iisque qui ea coniunguntur efficit, ut etiam diversa studia ac mores nonnunquam sine familiaritatis damno tolerentur, ex fratre sumus nati uno quem habuit atque ad id vinculum, quod in eo, qui filio ipse careat, solet esse artissimum, accessit, quod filiam eius duximus, ut paululum admodum abesse videatur, quin pro filio haberi possimus. Summa igitur vitae cum Zumptio nobis intercessit coniunctio, quam maiorem effecit, qua alienissimi saepe consociantur, studiorum similitudo. Cum enim ab ipsa ineunte pueritia ita sentire consuessem, ut me ad patrui imitationem conferre oportere existimarem, ubi ei adolescens in disciplinam traditus sum, illum prope unum intueri, ad illius exemplum conformari coepi, unde, qualiscunque vel sum vel ero, ab illo me factum, ab illo institutum esse confiteri debeo. Veruntamen magna haec sint in aliis rebus (nec dissimulo esse maxima), ad scribendi quidem consilium minus valuerunt. Neque enim aut ea lege viximus, ut ille beneficiorum suorum gratiam reposceret et tamquam pecuniam collocaret, perisse arbitraretur, unde non iusti reditus efficerentur, aut, si de quadam quasi gratia referenda cogitasset, non imitari me potius, quicquid haberet virtutis, quam verbis praedicare voluisset. Sed quae me maxime ad scribendum impulit causa, ita est mei propria, ut ad illum pa-

rum pertineat. Etenim quod multi saepe confessi sunt, se luctum et aegritudinem animi, nisi scripsissent de ea re, quae aegritudinem attulisset, recte deponere non posse, id nescio quo pacto mihi hoc tempore accidit, ut patrui carissimi imagine intuenda omnibusque proponenda iustissimum dolorem si non tolli, at levari animumque meum ad eum statum redigi cupiam, a quo non sine aliquo studiorum meorum damno deturbatus est. Quoniam autem haec princeps mihique prope necessaria fuit causa, quare de Caroli Timothei Zumptii vita quaedam litteris consignare statuerim, quicquid peccaro aut minus recte quam ipse velim exposuero, id ut mihi potius, qui animum meum continere non potuerim, quam ei, de quo scribo, quem ab omni vituperatione longissime abesse cupio, tribuant, eos qui haec legent vehementer obsecro.

Natus est Carolus Timotheus Zumptius Berolini a. d. XIII Cal. April. anni 1792 patre Ioanne, qui carpentaria facienda locum satis honestum inter suos tuebatur. Is postquam ex multis peregrinationibus acquievit (nam oriundus erat ex Saxonia), uxore ducta domoque comparata civitati nostrae ascriptus eo erat animo iisque studiis, quae tunc multorum hominum frugalissimorum communia ne nunc quidem prorsus evanuerunt, ut suo artificio delectatus omnia alia contemneret imprimisque eorum ambitionem aversaretur, qui, quem ipsis fortuna altiorem inter homines locum negasset, eum liberis eleganti ac liberali educatione comparare studerent. Qui si filiorum suorum disciplinae praeesse iisque quid sequerentur praecipere potuisset, adolescens profecto non ad minus honestum aut minus utile, fortasse etiam luculentius ac fructuosius, sed certe ad honoratum minus et litteris celebratum vitae genus esset deductus. Nunc duo maxima bona filio reliquit, primum firmam laborisque patientem corporis valetudinem, qua ipse praeditus erat, deinde religiositatem quandam ac constantiam in muneribus semel susceptis, qua quam ad rem puer usurus esset, providere non potuit. Duxerat enim alteram uxorem aetate iam provectus, plus quam sexagenarius, Christianam Christianiam, mulierem prorsus egregiam. Quae cum patrem habuisset

antistitem sacrorum pagi alicuius rustici, quo hominum genere nullum apud nos frugalius et liberorum praestantia insignius esse solet, etsi cum sene, cui ipsa septendecim annos nata nupserat, summa semper vixit concordia, altiora tamen spectabat paternique instituti retinens nihil magis cupiebat, quam ut filii sui ab opificio, in quo ipsa diligentissime versabatur, ad aliud studiorum genus traducerentur. Pepererat autem quattuor liberos, ex quibus quae mediae erant filiae mature extinctae sunt, filiorum ipsis undecim annis aetate inter se distantium alter, cum pater anno aetatis octogesimo quarto decederet, duodevicesimum annum agebat, alter Carolus septimum. Mater aliquamdiu sola domui praefuit, tum nupsit Michaëli Kuckio, viro admirabilis integritatis, modestiae, diligentiae, quo neminem unquam omni laude digniorem se cognovisse Zumptius profiteri solebat. Adde quod adeo erat privignorum studiosus, ut nullam molestiam, nullum laborem, nullas impensas recusaret, dum illi liberali educatione instructi ad litteras et ad honores pervenirent. Mutatur igitur consilium, quod prius de puerorum studiis initum erat, uterque litteris operam dare iubetur, Carolus quidem, ubi primis elementis imbutus est, anno 1804 gymnasio Leucophaeo Berolinensi, quod tunc summa cum laude Fr. Gedickius moderabatur, educandus traditur. Id gymnasium illo tempore longe erat praestantissimum in hac urbe cum propter rectorem, virum non modo regendorum puerorum peritissimum, verum etiam librorum, quos commodissime in usum scholarum scribebat, laude florentem, tum propter magistros nonnullos, quorum et doctrina et dignitate longe erat princeps Georg. Lud. Spaldingius. Hunc meminerat Zumptius optime narrabatque prorsus talem fuisse, qualem prodiderunt alii, virum dignissima corporis forma et morum insigni quadam quasi nobilitate, ex qua facile animus eius altissima quaeque complectens cognosceretur, sed eundem mirae industriae ad ingenia puerilia exercenda et erudienda. Qui cum in summis litterarum studiis versaretur, tamen non modo adolescentibus delectabatur instituendis, quibus eos scriptores praeiret, quos ne philologi quidem unquam sine aliquo eru-

ditionis suae fructu legunt, verum ipsa puerorum infantia atque inscientia, quam ad verum cognoscendum et ad recte eloquendum imprimis grammaticis rationibus accurate demonstrandis formaret. Quam rem quoniam ita administrabat, ut, si quos in aliqua re vacillantes deprehendisset, in iis diutius haereret neque ante dimitteret, quam radicitus evulso errore non ipsum modo illud, de quo agebatur, verum originem etiam rei universamque rationem explicasset, saepe fiebat, ut is, quem semel ita correxisset, in perpetuum ad rectam viam deduceretur. Recordabatur etiam A. A. Langium illum, celebrem scholasticum, qui deinde scholam Portensem post Ilgenium rexit, cuius iucunditate mirifice se delectari esse solitum commemorabat, multosque alios, quorum vel doctrina vel industria minus extabat. Magna autem celeritate omnes ab infima classes emensus est, donec ad tertiam superiorem pervenit, in quam dum transit, subito a gymnasio Leucophaeo deterritus ad aliud minus tunc quidem celebre ac minus utile decucurrit. Parvum esse scio, quod dicturus sum, sed dicam tamen, quod melius quam magna multa, quorum rationes obscuriores sunt, ingenium Zumptii illustrat. Causa enim relinquendi Leucophaei haec fuit. Cum propter modestiam morum assiduitatemque studiorum ita magistris probaretur, ut, quotiens omnino classes mutarentur, totiens superiori ascriberetur praemioque ornaretur, tunc nescio quo casu accidit, ut in tertiam superiorem non minus transponeretur ille quidem, sed praemio publice dato careret. Eam contumeliam (sic enim puer summa quaeque petens opinabatur) non ferendam esse ratus Leucophaeum gymnasium relinquere statuit veniaque a parentibus facile impetrata postquam per breve tempus alia studiorum consilia et agitavit et abiecit, auctore imprimis Erduin. Iul. Kochio, viro non indocto, publico sacrorum antistite, quo rerum domesticarum admonitore et adiutore parentes utebantur, ad gymnasium Ioachimicum transiit, celebre olim Meierottone rectore Engeliique elegantia, tunc pristinae claritatis parum retinens.

Atque hoc loco commemorabo, quod scholasticae institutioni illius temporis videtur fere commune fuisse vitium, non

ut detraham de ipsis hominibus, qui tunc scholis praeerant, in quibus multos fuisse scio et doctrina et puerorum erudiendorum peritia praestantissimos, sed ut et Zumptius qua disciplina usus sit intelligatur, et ut ne quantum nos nunc profecerimus poeniteat. Commune igitur plurimarum, ne dicam omnium scholarum hoc tum erat, quod Graecae Latinaeque linguae grammatice nulla certa ratione, nullo cursu constituto tradebatur, sed fortuito et ut quidque casu occurrerat, principia illa discebantur, quae nisi tenueris, nec tibi confidas nec facile ullum scriptorem recte intelligas, nedum ipse scribendi periculum facias. Neque id in declinationibus modo et coniugationibus, fundamentis illis cuiuslibet linguae, ita erat, sed etiam in syntaxi, cuius praecepta usu fere atque observatione percipiebantur, unde tanta solebat esse omnium in his, quae prima ac firma teneri oportet, imbecillitas, ut, ne si unus quidem aut alter egregius magister, qualis erat Spaldingius, singulos ad severiorem regulam revocaret aut singula corrigeret, multum aut ad universos aut ad omnia proficeretur. Zumptius quidem sese, qui summa semper cum laude ac celeriter classium gradibus perfunctus esset, tantopere narrabat in his rebus incerto errore fluctuasse, ut Graece legeret difficillime, Latine nec periodorum nec constructionum rationem, qua maxime re omnis Latinitatis intellectus nititur, teneret et in scribendo misere ad omnes primordiorum scopulos affligeretur. Iam in melioribus scholis hoc emendabatur aliquatenus usu continuo et legendi scribendique assiduitate, ut discipuli sensum aliquem perciperent, ex quo dubitanter illi quidem ac tarde, at discerent tamen vera a falsis discernere. In deterioribus vero scholis quot perisse ingenia non contemnenda, quot adolescentes optimae indolis retardatos esse putamus? Neque schola Ioachimica ita tunc erat comparata, ut, quod in primordiis litterarum antiquarum tradendis peccatum erat, aut severitate disciplinae aut scriptorum veterum diligenti atque assidua lectione compensaretur. Velut Livium et Virgilium interpretabatur quidam non alienus a litteris, sed qui suis negotiis occupatus discipulos contemneret. Qui cum nihil curaret, nisi ut sine sa-

lebris expedita procederet interpretatio profectusque non cognitione aut intellectu, sed spatio tamquam viam aliquam metiendos esse arbitraretur, neque constructiones neque vocabulorum significationes nec denique quid scriptor diceret explicabat, et ne cui molestiam exhiberet aut ut ipse animi quandam tranquillitatem servaret, in cathedra haerens efficiebat, ut ex interpretatione aliqua per manus tradita Germanica legerentur. Ac quia omnis disciplina paululo erat dissolutior, Zumptius per longum tempus fatetur, cum et ratio illa interpretandi (si modo ratio potest appellari quae a ratione dissidet plurimum) et magistri socordia displiceret, sese praetermissis scholis Livianis abire esse solitum, ut in bibliotheca regia rariores veterum scriptorum editiones inspiceret aut alios libros legeret. Nec melius munere suo fungebantur, qui Ciceronis libros de officiis et Catonem maiorem classis secundae discipulis praeibant, qui grammaticarum rerum vel ignari vel incuriosi, si quid de trivio tamquam explicantes adiecissent, abunde et scriptorem elegantissimum illustrasse et adolescentium institutioni consuluisse sibi videbantur. Neque in prima classe, in qua iam aliqua solet ex antiquitate percipi delectatio, Latinae certe litterae salubrius tractabantur. Nam Ciceronis orationibus Verrinis legendis praeerat homo, ut leniter dicam, inutilis et suscepto negotio impar; qui Tacitum interpretabatur, in tanta iucundissimarum rerum copia, qua hic scriptor abundat, illud unum agebat ut vulgaria quaedam de moribus eorum hominum, de quibus narrabatur, adnotaret, studia autem puerorum obtundebat, dum a primo deinceps ad ultimum ex ordine descendens interpretari iubet, ut nemo quicquam praeter illud caput, quod sibi praesciret obtigisse, curaret, ac si qui socordiores essent, facile sede mutanda omnem laborem effugerent. Qui denique scribendi Latine artem tradebat, et ipse mediocriter sciebat Latine (cognoscitur enim ex paucis, quae Latine scripsit) et prava illa, qua utebatur, ratione omnium alacritatem deterrebat. Sic mire sane accidit, ut qua arte ac scientia inter aequales suos egregiam omnium consensu laudem assecuturus erat Zumptius, eius pauca admodum in

schola perciperet, pleraque suo studio ac sua disciplina disceret.

Quodsi in litteris antiquis, ubi ipsi qui leguntur scriptores, omnis elegantiae et sapientiae principes ac duces, invitos saepe homines ad rectam viam deducunt pigritiamque vel tardiorum ingeniorum superant, haec erat, quam exposuimus, institutio scholastica, qualem fuisse existimabimus in reliquis disciplinis, ubi suo Marte magistri docere solent? Itaque qui Germanica, quae tunc rhetorica appellabantur, et Hebraica tradebat, odiosis sane moribus homo, a quo Zumptii natura abhorreret, non delectatione, sed taedio afficiebat discipulos. Qui cum mirificus orator sibi esse videretur, in scholis Hebraicis nihil prope agebat, nisi ut adolescentibus suam docendi methodum ingentibus laudibus praedicaret, quae ipsa methodus quia in eo erat posita, ut neglectis grammaticis omnia usu vel nescio qua alia ratione perciperentur, id peribat, quo haec lingua, quae una fere ex semiticis cognosci solet a philologis, maxime et utilis est et delectat. In Germanicis idem Meierottonis libro, si non aptissimo, at utili nec incommodo, quem ducem institutionis habebat, ita utebatur, ut Zumptius pertaesus omnem illam disciplinam rhetoricarum scholarum excusationem magnis precibus impetraret, sodales eius ab eadem petenda poenis deterrerentur. Mathematici vero magistri, hominis alioquin non indocti atque ex eorum maxime genere, quos quidam ingeniosos appellare solent, discipulorum contemptio atque incuria vix fidem nunc videtur posse invenire. Sed narrandum tamen quod Zumptius multique alii sibi accidisse saepe questi sunt. Etenim ad speciem honestam servandam iusto sane ille tempore ad scholas veniebat, sed confabulans cum paucis, qui urbanitate eius delectarentur, tempus terebat, dum altera horae pars praeterierat. Tum serio rem agere incipiebat, sed non cum omnibus, non ut interrogaret, ut excitaret, ut responderet, ut quicquam denique eorum, quae magistrum decent, tractaret. Verum pauci quidam hominem circumstabant, studiosi mathematicorum, demonstrantique et in tabula scribenti operam dabant, reliqui, si aderant, quicquid placuisset agebant, vel fa-

bulis legendis occupati vel si quid omnino serii temptarent, quae ad alias scholas opus erant meditantes. Ut tres horae partes consumptae erant, egregius magister tamquam alter Iuppiter capite annuebat discipulis, significans nimirum, defunctum se esse institutione. Discedebant igitur, si qui attenderant, ad suum quisque negotium; ipse interim stabat tacitus, ut si quis, quod raro quisquam sibi accidisse fatebatur vel fateri poterat, aliquid parum intellexisset, interrogandum se praeberet, tum paulo antequam hora exierat, discipulis rursus salutatis ac valere iussis abibat. Ac consimilis fere reliquarum scholarum erat disciplina, quam paucis exemplis demonstrare satis videbatur.

Haec cum ita essent, quid miramur adolescentulo optimarum artium amore inflammato, sed studiorum suorum rectorem desideranti, incredibile ortum esse omnium rerum taedium, ut de se et de litteris prope desperaret? Ferunt talia nonnulli, qui publicae institutionis defectu domestica disciplina compensato a parentibus altiora spectare discunt, superant etiam pauci, qui casu ac fortuna adiuti emicant, sed magnam omnino bonorum ingeniorum multitudinem hac socordia perire necesse est atque etiam qui eximie a natura sint praediti, ad turpes ac sordidas artes facile deducantur. Zumptius quidem quid habere poterat incitamenti in domo patria nunquam satis ampla et locupleti, tunc vero communi patriae clade ita afflicta, ut aegre, quo in diem sustentarentur, parentes quaererent? quid solatii in rebus publicis, hostili vi oppressis ac perditis, quae adolescentis animum, incredibili rerum Borussicarum amore incensum, vehementissime perculerant? Itaque intercisset fortasse eius ingenium aut ab litteris ad vulgarem vitae quaestum esset detrusum, nisi ipso illo tempore, quo in primam gymnasii classem transcriptus est, tria optimae fortunae beneficia accidissent, quae animum eius erigerent atque ad id, quod sibi proposuerat, fortiter persequendum confirmarent.

Eorum primum ab ipsa patriae calamitate hostiumque in ea versantium crudelitate profectum est. Nam qui tunc summae rerum Borussicarum praeerat, princeps Hardenbergius,

Napoleonis, Gallorum imperatoris, iram moverat praeter ceteros, quam publice conceptam quoniam ille privata quadam ultione persequendam esse putabat, milites Gallici cum alia principis bona praedae loco habebant, tum villam, qua plurimum uti consueverat, diripuerunt, haud procul a Berolino sitam, quam dominus et aliis multis rebus eximiis et, quo erat litterarum studio praeditus, praestantissima bibliotheca, etiam scriptorum veterum plena, ornaverat. Quam bibliothecam cum centuriones et tribuni Gallici disturbassent, factum est, ut Zumptius aliquot libros, qui venales per urbem prostarent, parvulo compararet, veluti Taciti editionem Ernestianam, Claudiani Gesnerianam, Iuvenalem, Persium, Lucianum Latina interpretatione instructum, alios. Tantum sibi divinitus obtigisse ratus optimorum librorum thesaurum continuo legere coepit, excerpere quicquid notabile videbatur, virorum doctorum notas studiosissime examinare, interpretatione denique scriptorum Graecorum ita adiuvari, ut ab illo primum tempore Graecitatis cognitionem sibi apertam esse diceret. Imprimis autem Iuvenali operam dabat, nulla alia opinor de causa, quam quod amplissima Henninii editio obtigerat, ex cuius notarum copia plurimum utilitatis percipi posse existimaret. Quod etsi pueriliter fecit, idoneo studiorum rectore carens (neque enim Iuvenalis ab adolescentulis aut debet legi aut potest intelligi), assiduitas tamen eius solidaeque doctrinae cupiditas apparet. At ex Taciti editione Ernestiana elegantissima fructum habuit maximum et ad praestantissimum antiquitatis auctorem cognoscendum et ad Latinitatem discendam; siquidem, qua erat sedulitate, lexicon Taciteum condebat tantaque industria conditum locupletabat, ut eo etiam postea in summis studiis plurimum uti consuesset. Atque hoc quidem tamquam ἕρμαιον materiem quandam studiis eius subiecit, animum autem erexit amicitia iuncta cum eo, qui in scholis solebat esse proximus, adolescente optimarum artium morumque candidissimorum, quem tanto amore amplectebatur, ut, cum postea fortuna unum ad litteras, alterum ad rempublicam gerendam detulisset raraeque propter studiorum diversitatem intercederent congressiones

ac sermones, caritatem tamen eius usque ad extremum gratissima memoria retinuerit. Qua familiaritate adolescentuli laudabili prorsus litterarum discendarum cupiditate toti incensi non tam ad rerum domesticarum consuetudinem utebantur, quam ad studia acriter urgenda delectabanturque imprimis Herodoto communiter legendo, in quo dum privata disciplina compensare student, quod publica non praestabat, et praesidia interpretationis quotquot nancisci licebat adhibebant, et lexicon Herodoteum instituerunt, quod pro fundamento totius quam cognossent Graecitatis esset. Ac leve fortasse cuipiam videatur, quod inter ea, quae adolescentuli animum ad se ipsum revocarint, amicitiam numerem, quae illa aetate non facilius iungitur quam dissolvitur. Sit hoc in aliis; Zumptii quidem animus erat eiusmodi eamque natura habebat indolem, ut et admirabili caritate amicos complecteretur et tanta teneret constantia, quantam raro nec in multis invenias. Denique accessit tandem etiam idoneus litterarum dux Philippus Buttmannus, vir ingeniosissimus, qui tunc professuram gymnasii Ioachimici obtinebat. Qui cum etiam in tertia classe mythologiam et historiam antiquam traderet, quia tunc ab pueris litterarum minus peritis parum intelligebatur, non eam habebat admirationem, qua erat dignissimus; in prima vero quae didicisset, se illi omnia debere, illius recordatione iucundissima totam sibi Ioachimicam commorationem exhilarari Zumptius saepissime narrabat. Nimirum illa, quam paulo ante dixi, multorum magistrorum vel negligentia vel imperitia, etsi ferenda non est in re scholastica bene constituta multaque minus alacria ingenia pessumdat, hoc tamen habebat commodi, ut, si qui essent magistri boni ac diligentes (atque erant fere singuli in singulis scholis), quia illorum ductu quantum proficeretur facile discipuli sentiebant, ii universorum admirationem in se converterent omniumque studia regerent. Sic tum Buttmannus in gymnasio Ioachimico regnabat. Nam quaternis per hebdomadem scholis interpretabatur Arriani Indica, Demosthenis orationem Midianam, Euripidis Medeam, aliquando, sed minus saepe quam debuerat, Homeri Iliadem iisque accurate explicandis et ver-

tendis adolescentes exercebat; scribendi quidem Graece facultas neque erat ulla neque quaesita est unquam ab Buttmanno, sive quod non probabat sive alia de causa. Ne illud quidem faciebat vir doctissimus, quod et ipsi Graece peritissimo non poterat non esse facillimum et discipulis fuisset utilissimum, ut ex grammatica, quam scripserat, partem aliquam perpetuam ratione atque ordine exponeret, praecepta exemplis illustraret, denique ea, quae proprie appellatur, grammatica institutione animos formaret. Malebat ille scriptores Graecos frustatim interpretans, ut cuiusque vel formae vel praecepti grammatici mentio facta erat, ita singula tractare. Quare quoniam tarde procedebatur, etsi necesse erat et scriptorum iucunditatis magna pars periret et nonnulli stimulo quam freno aptiores adolescentuli paululum obtunderentur, cito tamen apparuit omnibus, illam solidam ac germanam esse eruditionem, illam veram disciplinam. Adde, quae discipulis fidem faceret, salubrem illam, qua praeceptoribus nonnunquam utendum est, magistri iracundiam, qui cum omnium miseram detegeret ignorantiam, et verbis increpabat et pede terram pulsabat, significans nimirum, quantum tantae optimarum rerum inscientiae sese puderet. Ex qua disciplina quantum profecerit Zumptius ad Graecitatem cognoscendam, non opus est a me explicari, qui cum dudum sibi ipse quasi consulere assuesset, quae magister significarat aut correxerat, suo quidque loco inserendo apteque concinnando effecit, ut plenam atque accuratam grammaticae Graecae cognitionem compararet. Latine autem binis scholis Buttmannus explicabat Horatium, non grammatica ille quidem in hoc poëta exercens, at metra diligenter et exponendo et pronunciando tradens sententiamque carminum interpretans, excipiente omnia Zumptio et annotante, qui ne quid de magistri eruditissimi ore periret, singulorum carminum et prolegomena et interpretationem Germanicam et annotationem denique amplissimam scribere solebat, sua quidem sponte nec monitus a quoquam, sed sola poëtae dulcedine litterarumque studio incitatus. Nam magistri ut quicquam eiusmodi aut poscerent aut iuberent aut curarent, non erat moris. Ne Buttmanno quidem

satis vacabat, cum negotiis multis districto, tum summis philologiae studiis dedito. Veruntamen incredibile est, quanta in ipsa eruditione vis posita sit ad erectiora ingenia inflammanda. Adeo enim nonnullos, in quibus erat Zumptius, antiquarum litterarum studio incenderat Buttmannus, ut privatam ab eo disciplinam petere statuerent. Obsecutus vir doctus adolescentulorum precibus, quia aliud nullum tempus vacabat, quamvis hiems summa esset, hora sexta matutina sibi operam dare iussit. Accepta est magna alacritate condicio Platonisque Phaedrus electus, quem ex Heindorfiana editione legerent. Ac tum primum cum Platonis divinum ingenium idoneo magistro praeeunte cognosceret, cum huius principis philosophorum tum universarum litterarum antiquarum tanto se amore captum esse commemorabat Zumptius, ut habitare in iis eoque vitam suam studiaque omnia conferre decerneret. Quare laborabat ea prorsus assiduitate, ut non scholae, sed vitae eum discere appareret. Nam et praesidiis omnibus grammaticis, quae nancisci posset, utebatur, imprimis Hoogeveeni libro de idiotismis linguae Graecae, qui ex ipso Phaedro plurima excerpsit, et meditando scholas vel quae audiverat repetendo copiosissimos commentarios conficiebat. Quorum commentariorum adolescentuli studia testantium superest non exigua pars, quae cum legerem, intelligere coepi, quomodo accurata illa eademque ampla extitisset doctrina, qua Zumptius praestitit, ac sic mihi persuasi, nisi mature tali alicui scribendi generi assuefiant, nunquam adolescentes aut ad antiquarum aut ad aliarum litterarum idoneam cognitionem posse pervenire. Secutus est Platonem Aristophanes, qui item magna cum delectatione, sed non eo animi fervore, quo ille omnes ceperat, lectus est, Aristophanem Homerus. Quamquam hunc qui Buttmanniana studia norit, non nimis adolescentibus fuisse iucundum intelliget. Dum enim vir doctissimus scholiastas citat, criticam examinat, orthographiam et etymologiam, quo in genere plurima ab eo inventa esse constat, persequitur, magnam partem adimebat et suavitatis Homericae, qua plurimum iuventus permovetur, et

utilitatis, quae ex patre poëtarum de universa Graeciae eruditione potest percipi.

Inter haec studia praeterierat prope biennium, quod Zumptius in prima gymnasii classe consumere statuerat. Etsi enim celerius tunc saepe a gymnasiis dimittebantur discipuli, ipse tamen erat admodum adolescens, modo expleto septimo decimo aetatis anno, nec poenitebat quantum proficeret. Tum autem parabat in academiam abire. Sed paulo antequam abiret, insignem quandam fortunae beneficio oblatam sibi esse felicitatem semper gratissima cum delectatione recordabatur. Obtigerunt enim tres litterarum antiquarum magistri, quibus quamquam non tam diu usus est, ut multum eorum ductu proficeret, cognoscendis tamen ac temptandis quasi adeo delectatus est, ut saepe memoria ad illos rediret et quotiens de ratione scholasticae institutionis sermo incidisset, totiens illos tamquam optima exempla adhiberet. Nam cum Buttmanno in academia Bavarica Landshutiana professoris munus oblatum esset, ille loci condicionisque ignarus, ut qualis esset provincia ipse inspiceret, quo erat iuvenili prope etiam provectior aetate impetu atque alacritate, continuo profectionem suscepit, amicis ut interim scholis Ioachimicis praeessent rogatis. Ecce igitur Spaldingius prodit ad adolescentes Ioachimicos Homeri Iliadem interpretaturus, plenus naturali illa, qua excellebat, corporis habitusque dignitate, vetus disciplinae, excitatior denique paululo quadam aemulatione, ne scilicet Buttmannus desideraretur. Quantam tunc eius fuisse putamus artem, quantam admirationem, qui olim puerulum Zumptium ipso aspectu obstupefecisset! Praeibat autem Homerum tantum afferens grammaticorum, quantum opus esset ad intelligendum, erroresque vertentis accurate corrigens, tum, uti quemque locum illustrarat, ipse suscepto negotio interpretabatur tanta verborum et diligentia et venustate tantoque ardore, quanta nunquam neque antea neque postea in quoquam sese cognovisse praedicabat Zumptius. Talis Homeri interpres si fieri posset ut omnibus contingeret adolescentibus, nae illi non modo quamdiu scho-

lastica disciplina continentur, verum per totam vitam omnis elegantiae atque eruditionis principe delectari discerent. At Horatium explicandum susceperat Heindorfius, vir item clarus et in ipso illo poëta egregie versatus. Is Wolfiana disciplina eruditus quaeque illic aut didicerat aut ipse invenerat, probe tenens ingentem effundebat copiam observationum subtilissimarum, quibus etsi obruebat paululum elegantiam Horatianam, adolescentium tamen animos talium rerum imperitos praestringebat, imprimisque Zumptius, qui privato studio similia comprehendere consuesset, omnia cupidissime arrepta in commentarios suos de Herodoto et Tacito inserebat. Quaerebatur, utrius superior esset disciplina, Spaldingii an Heindorfii. Ac primo quidem sine dubio superabat Heindorfius, magnam acuminis novitatem discipulis obiiciens, Spaldingii institutio omnibus partibus aequalis ac perfecta, quoniam ipsa pulchritudo perfecta contemplationem quandam ac cogitationem poscens minus solet hominis semel intuentis animum quam vel deforme monstrum, vulgarior videbatur plerisque. Sed tempore illius novitatis splendor evanescebat, huius incredibilis cum summa eruditione coniuncta dignitas cognoscebatur ac superaturus erat non magis dubie quam initio inferior visus erat Spaldingius, si diutius uterque scholis Ioachimicis praefuisset. Denique per breve tempus Zumptius magistrum expertus est Conradum Schneiderum, qui in provinciam Buttmannianam successurus Iliadem et Platonis Apologiam explicabat, virum corpore procero, sed figura gracili coloreque suppallido, ex quo iam tunc morbum, quo immatura morte periit, metueres. Is aequabili quadam elegantia solidaque doctrina, cui loci adolescentiaeque auditorum memor parceret, et delectabat et adiuvabat.

Iam cogitans Zumptius in academiam transire et familiares copiolas, quas tenues sane domus paterna praebebat, et quod ex veteri gentis nostrae legato, unde adolescentibus litterarum studiosis luculenta nonnunquam beneficia proponuntur, potuisset conficere collegerat. Nec videbatur non omnibus magistris eximie disciplina scholastica esse perfunctus, imprimis Schnei-

dero, qui eius et ingenium et mores et Graecae linguae scientiam vehementer approbabat. Atque examen quidem, cuius magna pars magistrorum humanitate (si humanitas illa appellanda, non et disciplinae omnis dissolutio et magna iniustitia, qua socordibus et imperitis idem tribuatur quod sollertibus et peritis) eludebatur, facile superatum est; sed maius longe fuit, quod in ipso discessu copia ei facta est F. A. Wolfii, principis tunc philologorum. Qui cum gymnasii Ioachimici esset visitator (sic enim vocabatur), ne hanc nomine modo curam gereret, ad probationem adolescentium accessit spretisque ceteris nugis, demonstraturus etiam, opinor, magistris quid esset interpretari, ex Taciti annalibus locum vertendum et explicandum proposuit. Tum haerere ceteri, nescire, philologi subtilitatem non capere, Zumptius solus, qui et pridem fuisset assiduo veterum scriptorum studio et recens Buttmanniana Heindorfianaque disciplina imbutus, non tantum intelligere, verum occurrere etiam quaerenti et quaedam, quae vir doctissimus animadversurus erat, occupare. Itaque non diu temptata adolescentium scientia Zumptius cum altero quodam iudicantur sufficere studiis academicis, reliqui non sufficere. Simul Wolfius, qui Zumptium ad litteras antiquas discendas in academiam Heidelbergensem abire velle accepisset, Berolini potius remanere iubebat: expectaret, dum universitas litteraria Berolinensis, de qua tunc plurimus erat sermo, constitueretur: sese interim proxima hieme de philologia aliquas scholas habiturum. Non movebant haec adolescentem, qui studio discendi inflammatus nec expectandum amplius esse existimaret et novos magistros novasque res cognoscere cuperet. Parere igitur maluit Buttmanno Heidelbergam commendanti, quae hodie amoenitate, illo tempore etiam severitate studiorum magistrorumque praestantia maxime per Germaniam celebrabatur. Nam ex Borussicis quidem academiis Halensem disiecerant hostes, Francofurtanam mali studiosorum mores pessumdederant, Regiomontana et philologiae luminibus carebat et longe aberat. At Heidelbergae tradebat litteras antiquas Fr. Creuzerus, nuper Lugduno ex Batavis redux, vir et doctrina multiplici praedi-

tus et ubertate quadam ingenii, quae facile audientium animos caperet, insignis. Magis etiam invitabat A. Boeckhii adolescentis tunc prope ingenium, quod etsi modo eluxerat, celeriter tamen ea omnes admiratione affecerat, quae futuram viri gloriam, qua haud dubie princeps philologorum evasurus erat, significaret.

Hae studiorum opportunitates superarunt et rei familiaris angustias, vix magno labore inter belli calamitatem a parentibus indulgentissimis sustentatas et anxietatem animi, quam tanta, ut tunc erat, peregrinatio per media arma atque exercitus suscipienda afferebat. Profectus mense Septembri anni 1809. Berolino Zumptius post viginti fere dies, quos pedibus iter faciens et hic illic vel virorum doctorum visendorum vel urbium cognoscendarum causa commorans consumpserat, Heidelbergam pervenit, sic prorsus animo affectus, ut Musis dum operam dare liceret, nec labori nec impensis parcere statueret. Ac nomine quidem in academia erat theologus theologorumque ordini ascriptus, quo cum plerique illo tempore, qui litteris antiquis studerent, continerentur, tum parentum etiam voluntati, qui veteri pietate illum tamquam finem honoris ac dignitatis esse arbitrarentur, videtur tribuisse, ut inter theologos potius quam inter philosophos profiteretur. Nec sacras litteras negligebat; siquidem et scholis nonnullis theologicis intererat et linguam Hebraicam, qua in gymnasio levissime sese imbutum esse meminerat, assidue discebat. Veruntamen publice haec agebat, ne ab iis, in quibus nesciret an aliquando esset versaturus, desciscere videretur, nolenti ut opinor animo et querens subinde haec ab ingenio suo alieniora studia vitae necessitate sibi imponi; tum, si quando totus ad theologiam traduceretur, in confiniis potissimum theologiae et philologiae, qui campus est et amplissimus et fructuosissimus, habitare constituebat. Privatim quidem ardebat totus antiquarum litterarum, imprimis Graecarum studio: de illis loquebatur, de illis cogitabat, ad illas incredibili et alacritate et constantia omnem operam intendebat.

Iam de studiis Zumptii academicis ipsis quid dicam? Erant

ea talia, qualia in iuvene altissima quaeque sibi proponente ingentique animi ac voluntatis firmitate praedito esse oportebat, assidua, ad unam et summam philologiam directa, cum maxima diligentia coniuncta. Nam quod Cicero universe praecipit, in vero cognoscendo illud imprimis vitium esse vitandum, ne incognita pro cognitis habeamus hisque temere assentiamur, id et principium est omnis antiquarum litterarum scientiae et Zumptii ita fuit proprium, ut nihil cum eius natura magis convenisse existimem. Quod qui negliget, ad nullam unquam cognitionem accuratam perveniet, qui religiose sequetur, fieri potest ut non multa amplectatur, sed ut non in suo genere excellat laudemque inveniat fieri non potest. Quare celebre prorsus est inter philologos illud, quo significant, nihil esse pro vero habendum, quod ubi tradatur non indicetur, ipsisque in coniecturis, quorum sane periculis nonnunquam necessario utendum esse non dissimulamus, causis et magnis et multis similitudinem certe aliquam veri effici volunt. Nec tamen ingenium humanum, quod plurimum auctoritate ducitur libentissimeque quorundam celebrium nominum opiniones sequitur, sic est natura comparatum, ut dubitet, ut anquirat, ut non credere quam doceri malit. Quare cum arte formandum sit, in nostris quidem litteris peritissimi viri statuerunt nihil esse utilius ei qui antiquitatem cognoscere velit, quam quarundam editionum amplis et doctis complurium virorum notis instructarum assiduam lectionem, de quibus dum cogitant, dum quaerunt, dum scribunt, quoniam universae interpretationis progressus et quasi antecessiones intuentur, iuvenes suo iudicio uti et ab errore prohiberi discunt. Quo in genere quam exercitationem in ipsa schola habuerat Zumptius cum maxima industria augeret in academia novasque res assidue adderet veteribus, quid miramur et in litteris nostris plurimum didicisse et doctorum academicorum admirationem ac caritatem tulisse? Princeps autem tunc erat inter philologos Heidelbergenses ille, de quo supra dictum est, Creuzerus, qui idem seminario philologico praeerat. Inter cuius sodales Zumptius, etsi recens erat ex schola et modo ad studia academica admissus, paulo

post receptus suam ille quidem, quia natura eius a magistri opinionibus ac doctrina paululum recedebat, persequebatur viam, sed eam tamen excitabat existimationem, ut bonus aliquando philologus fore speraretur. Unam eum memini narrare esse solitum rem, cum paulo postquam receptus erat, commissus cum aliquo, qui sodalium facile primus atque eximie doctus esse putaretur, vereretur magnopere contrariam tueri sententiam atque et illum habere nosset et magistro placere comperisset ideoque rem quam diligentissime exploraret: quo facto cum sibi prorsus verum invenisse videretur, tanta sese constantia id, quod cognosset, defendisse, ut ne magistro quidem cum altero illo suam peritiam consocianti cederet eidemque alteris scholis rem repetenti causasque causis superstruenti ita resisteret, ut audientium pars aequo eum Marte, pars superiorem haud dubie discessisse censeret. Talibus tamquam certaminibus, quae compluria accidebant, et confirmari oportebat adolescentem et animo augeri, ut fretus viribus suis per se incedere disceret. Nec vero hanc solum opportunitatem ei seminarium, quo adolescentes litterarum antiquarum studiosi erudiebantur, afferebat, sed etiam primum aliquam Latine scribendi ac dicendi facultatem, qua tunc demum imbui coeptus est. Nam in gymnasio quidem quam infructuosa omnis grammaticae Latinae institutio fuerit, supra significavimus, loquendi vero vel nullam vel admodum exiguam occasionem in eo fuisse suspicor. Quae cum ita essent, adolescentis studia, ut fieri solet in discipulis magistrorum fere praestantium exempla sequentibus, ad Graecas omnino litteras conversa erant, quae quidem, tametsi iam etiam Latinae excitatae sunt, superarunt tamen et tunc et aliquamdiu post, dum tandem aliis causis accedentibus si non ex animo fugatae atque expulsae, at in subsidium quasi Latinarum recesserunt. Deinde tale studiosorum antiquitatis sodalicium, cui idoneus magister praesit, quantum putamus habere commodi ad eam rem, ut quae repererint ac cognoverint adolescentes ea exponere, illustrare, litteris consignare discant? Necessaria enim utique est perpetua institutio, qua litterae secundum rationem ordine expli-

centur, magnamque in ea re tempore nostro intelligo factam esse progressionem, quod ea solet nunc et uberior longe et rectior tradi quam antea; sed haec parat scientiam, exercitationem non admittit nec potest unquam, quamvis regulas et praecepta persequatur quibus utendum sit, hoc efficere ut uti iis doceat. Ut medicus, qui perceptis scholis ad omnes artis suae partes pertinentibus, nullo antea nec viso aegroto homine nec temptato ad curandum si accedat, merito rideatur, ut de arte civitatis gubernandae qui omnia quae a magistris tradi possunt audierit omnesque leges cognorit, nisi ipse per parva quasi pericula quomodo gerere sese debeat didicerit, vix ulli parti recte possit praeesse, sic multo magis accidit in litteris, quas qui ad delectationem suam cognoscere cupiet in iisque quae nota sunt consistere constituerit, utatur sane illa ratione, qui ipse aliquid invenire volet, si illam exercendi palaestram neglexerit, magno id damno ac multiplici labore redimere cogetur. Neque enim non inest in scribendo ipso aliqua consuetudo atque usus, quem summi cuiusque aetatis scriptores multis periculis se assecutos esse confessi sunt, quorum initia intra paucorum sodalium cognitionem cohiberi et eorum interest qui scribunt et litterarum, quae satis detrimenti ex intempestivis multorum scriptionibus tulerunt. Quo in genere Zumptius, qui Buttmanniana disciplina egregie perfunctus esset, dissimilis ille quidem erat plurimorum qui in academia discere incipiunt, nec nominare licet, in quibus ille potissimum litterarum partibus sese exercendum esse putarit; veruntamen hoc scimus quam scribendi facultatem olim comparasset, eam seminarii diligentissimo usu esse et amplificatam et confirmatam.

Lectiones autem, quas Creuzerus eo, quo Zumptius Heidelbergae versabatur, tempore habebat, pertinebant primum ad archaeologiam, quam nova ille atque ingeniosa ut videbatur ratione tractando et apud alios multos magnam laudem ferebat et iuvenum fervidiores quam prudentiores animos vehementer permovebat. Quae ratio cum ne hac quidem aetate alioquin colligendis magis quam interpretandis monumentis occupata prorsus exoleverit, quam tamen lubrica sit nec sufficiat

ad artem antiquam intelligendam cognitum est. Idem Creuzerus quas habuit de antiquitatibus Romanis lectiones, dubito an Zumptium minus excitarint: hoc scio Berolinensi demum non iam disciplina, sed doctrina imprimisque Niebuhrii aliorumque qui cum illo fuerunt praestantissimis de antiquitate Romana quaestionibus adductum eum esse, ut quam antea eidem rei fortuitam ac raro operam dederat, eam ad universas antiquitates conferre et certo consilio regere statueret. Ac sane qui librum Creuzerianum de antiquitatibus Romanis ad usum scholarum scriptum et Zumptii in eodem genere studia doctrinaeque universae rationem compararit, huic materiem a magistro praebitam utilem fuisse, ipsam quaerendi ac disputandi viam non nimis placere potuisse animadvertet. Magis hunc movebant eiusdem studia Ciceroniana, quae etsi maiorem spem excitasse quam explesse videbantur, semper tamen confessus est sibi ad eadem alia ratione persequenda magno fuisse emolumento. Quapropter in hac doctrinae ac voluntatis diversitate eam ille erga Creuzerum servavit pietatem, quae debetur magistro, qui si quem tradendis iis, quae pro ingenio suo habet optima, erudiverit, hanc certe meruit gratiam, ut, quamvis hic et aliam et rectiorem rationem ineundam esse putarit (neque enim haec prohibenda studiorum libertas), ne ullo pacto laedatur. Itaque inter Creuzerum et inter Zumptium cum alia intercesserunt usque ad extremum conservatae amicitiae documenta, tum publice extitit testimonium, cum conventus philologorum Darmstadiensis anno 1846. Creuzero absenti gratulari statuit, cuius rei hic non modo maximus auctor fuit, verum etiam ipse suscepto negotio gratulationem composuit, quae viro in litteris nostris egregie versato, cui studiis defuncto naturae beneficio vita perfrui liceret, offerretur.

Veruntamen Heidelbergensium philologorum nescio quo pacto acciderat, ut tunc duae quasi essent partes, non invidia aliqua turpi aut artibus illiberalibus, sed aemulatione quadam honesta de principatu certantes. Earum una, Creuzero addicta, adolescentium erat ex australi fere Germania ortorum, ipso eo, quod in patria quasi sua res gereretur, elata; altera

eorum, qui ex septentrionalibus partibus, maxime ex Borussia, Heidelbergam studiorum causa convenerant. Hos tuebatur A. Boeckhius, vir clarissimus et ingeniosissimus. Qui quantopere moverit Zumptium, ut omnino Heidelbergensem Musarum sedem sibi petendam esse existimaret, supra significavimus; de amplissima eius doctrina, qua iam tunc apud peritiores summam laudem inveniebat, de singulari arte, qua non modo plurimas litterarum nostrarum partes vel primus constituit vel amplificavit, verum novam omnino ac praeclaram toti nostrae scientiae formam induxit, de benivolentia denique atque humanitate, qua cum reliquos tum hunc adolescentem adiuverit, adhortatus sit, monuerit, dicere prohibet pudor, ne, a quo ipsi nos plurima accepisse beneficia fatemur, ei quodammodo assentari videamur. Hoc commemoro, quae coniunctio inter Zumptium et Boeckhium usque ad extremum sanctissime servata intercessit, eam mihi videri prorsus pro exemplo quodam posse proponi. Paululum antecedebat aetate hic, quare, ubi ille ab discendo ad docendum transiit, quae fuerat antea inter magistrum et inter discipulum necessitudo, ea mutata est in amicitiam, ut, cum unus Graecas, alter Latinas litteras tractandas sibi elegisset, pariter in suo uterque genere procederet, ac si quo alterius subsidio opus esset, id ab amico potius quam aliunde petendum esse existimaret. Adeo et illius auctoritas et huius observantia, in mutua doctrinae ac morum admiratione positae, usque ad extremum constiterunt. Illud etiam pertinet ad Zumptianam doctrinam commemorari, cum materies ipsa studiorum, in qua elaboravit, ex aliis fere fontibus duceretur, rationem deducendi universamque quam appellant methodum ex Boeckhiano fere exemplo esse sumptam, praecipue postquam a grammaticis studiis ad antiquitates quae proprie dicuntur transire coepit. Medii autem quodammodo Heidelbergae ac sua ratione incedebant Vossii, Io. Heinr. et Abraam., quorum ille clarus fuit nostrae linguae auctor et veterum scriptorum interpres, filius patris studia imitabatur. De quibus cum plurima possint cum summa laude disputari, si quis universam philologiam persequatur, qua re Zumptium adiuverint,

nihil magnopere scio quod afferam. Veruntamen filius huic comitate et facilitate librorum si qui opus essent commodandorum aliarumque rerum adolescenti difficilium monstrandarum magnopere proderat; in patre, qui iam ad senectutem accedens ingenio suo minus uti posset, delectabant ipsae praeteritae gloriae reliquiae: multa tradere poterat, multa praecipere, multa monere narrabatque Zumptius se adire ad illum esse solitum vesperi, cum senex post coenam otiosus plurima iucundissime confabularetur, quaedam etiam de litteris haud inutiliter commemoraret.

De privatorum Zumptii per commorationem Heidelbergensem studiorum ratione vel nihil est vel paucissima quae tradere liceat. Magna ea fuisse suspicor; neque enim nisi sint magna, ab iis qui litteris antiquis operam dant ad ullam potest perveniri praestantiam, et Zumptium paulo post tantum fuisse video, quantus subito existere non potuit. Equidem duas omnino vias esse intelligo qua adolescentes philologiae studiosi ad accuratam et amplam litterarum suarum scientiam pervenire possint. Eorum una, qua multi ac clarissimi viri eruditi sunt, fuit olim Batavorum maxime propria. Qui cum qua ratione natae essent litterae antiquae, eadem rectissime percipi iudicarent, hoc commendare solebant, ut scriptores veteres historica serie legerentur initioque facto ab eo, qui omnis veteris eruditionis auctor et princeps fuit, Homero ad reliquos deinceps ex ordine descenderetur. Ita ex ipsis fontibus quae nunc ex perpetua magistrorum oratione petitur et Graecae Latinaeque linguae et totius antiquitatis cognitio percipiebatur: quae res publicae fuissent, ipsi tradebant qui in iis vixerant, quae vita privata, qui ea usi erant demonstrabant; linguarum denique scientia non ex grammaticis, sed ex ipsis auctoribus quaerebatur. Nec, id quod nunc fere fieri solet, antiquitatis studium ab linguarum cognitione seiungebatur, quae cum sola id suppeditaret, quo res antiquae intelligerentur, non poterat a quoquam qui vel historiae vel alicui antiquitatis Graecae Romanaeve parti operam dabat negligi: simul, dum loci dubii necessario constituuntur, difficiles explicantur, mendosi

emendantur, facultas illa critica exercebatur, in qua magna philologiae pars posita est. Ea ratio multa habet commoda, ut remotis virorum doctorum opinionibus ipse iudicare discas, ut veterum rerum quasi progressiones intelligas, ut denique ex assidua lectione sensus quidam antiquitatis imbibatur, quo et multa quae non sunt tradita expleantur, et libido illa prohibeatur, quae nocet plurimum; sed hoc habet incommodi, quod lente proceditur et fructus studiorum, etsi maturi fere et adulti prodeunt, post longam demum moram edi possunt. Adde quod timidiora quaedam ingenia, quibus nisi cognitis omnibus rebus quae de antiquitate supersunt nihil suo Marte videtur esse aggrediendum, nimis retardantur, quale fuit F. W. Reizii Lipsiensis, quem hac ratione a multis et magnis rebus, quarum capax esset eius doctrina, deterritum esse accepimus. Itaque nunc contraria placere coepit via, brevior ac quasi efficacior aetatique nostrae fructuum celeritatem poscenti aptior. Vix paucos nec eos fortasse totos adolescentes cognoverunt scriptores, vix paucis scholis quibus litterae ipsae tradantur interfuerunt, verbaque quaedam magnificentiora quam veriora usurpare didicerunt, cum quasi cognita universa disciplina eligitur ab iis, qui altiora in litteris nostris petere statuerunt, unus aliquis vel scriptor vel antiquitatis locus, in quo elaborent. Is utrum coniunctus sit cum elegantia bonae antiquitatis propria necne, nihil magnopere interest, utrum aptus ad formandum ingenium, vix curant; ut difficilis et obscurus sit, hoc anquirunt. Quem dum cognoscunt, dum examinant, dum omnia ad eum pertinentia persequuntur, quoniam nulla pars litterarum nostrarum per se constat, sed omnes artissimo inter se vinculo continentur, fit ut paulatim reliqua discantur; quicquid deest, id magistrorum scholis ac praeceptis expletur. Sic multos nunc per haec quasi compendia viarum properantes videas, qui nisi multae antiquitatis partes satis accurate expositae essent accurateque traderentur in academiis, nihil agere possent; nunc, si caveant quaedam non parva pericula ac satis diligentiae adhibeant, sic quoque praeclare elaborare possint. Nec tamen dubium est quin tutior sit illa altera via, quae si

a nimia severitate et quadam quasi calumnia temperetur, tempestivos etiam fructus ferre possit. Eaque fere usus est Zumptius, qui cum nullum unum certum scriptorem aut partem studiorum antiquorum vel sibi ipse elegisset vel, quod fere fit, ab alio commendatum accepisset, id solum operam dabat, ut et optimorum scriptorum diligentissima lectione animum aleret atque in recta veri intelligendi ratione contineret et universam, quantum fieri posset, antiquitatem cognosceret. Qua via cum alia multa, tum solidam illam atque accuratam qua praestitit doctrinam assecutum eum esse intelligo: nam bonorum quidem scriptorum et Graecorum et Latinorum vix erat quisquam, quem non totum pertractasset, mediocrium eorumque, qui magis rerum copia quam dicendi elegantia censentur, nemo, quem non ita temptasset, ut ingenium eius non ex aliorum opinionibus, sed ex suo iudicio cognosset. Magnum esse video quod dico; neque enim modo multi sunt scriptores, sed quidam etiam ita alieni ab iis, in quibus postea habitabat, studiis, ut eorum cognitione facile carere potuisse videatur. Sed dico vere. Notare enim solebat in exemplis quibus utebatur, quando quemque scriptorem legisset, adiicere etiam passim verborum contextui suas vel observationes vel emendationes, denique in omnibus ita elaborare, ut, ubi res spectandae essent, rerum seriem, ubi oratio, dicendi proprietatem in conspectum quendam redigeret. Etenim urgebat prorsus studia, paucis subinde amicis, quorum idem esset animus, regionisque amoenitate ad recreationem et excitationem, non serio ac quasi illud agendum esset, utens. Nec res familiaris, quae praesertim librorum comparandorum cupiditate, qua iam tunc ardebat, minueretur, multorum sodalium consuetudinem, adolescentulis alioquin gratam neque inutilem, patiebatur et, uti sibi ipse consulere inciperet, admonebat.

Quare postquam annum Heidelbergae commoratus est, in patriam rediit Berolinum, invitus ille quidem et ita, ut maximam semper eius loci, quo primum quasi ex carceribus emissus liberiore campo decurrere viriumque suarum periculum facere coepisset, caritatem retinuerit. Dubitabat etiam, num in

hac urbe, in qua recens constituta esset academia, eandem studiorum opportunitatem, eandem magistrorum et doctrinam et humanitatem inventurus esset. Varii enim fuerant rumores, hunc aut illum virum doctum quamvis magnis praemiis arcessitum noluisse venire, alium, quem oporteret, non esse invitatum ad novam Musarum sedem, alium, quo opus esset, non posse inveniri ullum; denique certa incertis nonnunquam videbantur esse praeferenda. Sed rediit tamen ad semestre hibernum mense Octobri anni 1810. in nascente modo academia auspicandum. Quam ut tetigit, quascunque habuerat dubitationes, continuo sublatae sunt. Ardere enim videbat omnia studiis optimis: eos, qui novam academiam moderarentur, summa uti munificentia, ut omnia artium ac litterarum praesidia quam liberalissime pararentur, doctores ipsos incredibili incitatos esse alacritate, ne, cum reliqua omnia adessent, ipsi tantae hominum expectationi deesse viderentur, studiosos undique frequentissimos convenisse ad ingenuarum artium praecepta percipienda.

Quamquam maiorem vim quam aut magistratuum voluntas aut praeceptorum industria aut discipulorum frequentia ad studia excitanda habuit ipsum illius aetatis ingenium, qua quod inter turpissimam patriae servitutem litterae subito erectae sunt, vix videtur homini cuiquam posse tribui. De qua aetate quotienscunque aut a maioribus natu accipio aut ex monumentis rerum gestarum cognosco, totiens soleo illos beatos praedicare, qui tunc vixerunt, non modo propter optimam concordiam, qua omnes suorum commodorum obliti communi patriae subvenerunt, aut propter maximas res bello gestas, verum etiam propter studiorum ardorem, quo omnes pariter ita incensi erant, ut vel minora ingenia conarentur magna. Non referam, quae et explicata sunt saepe et reposita in multorum qui supersunt memoria, quibus de causis, qui praeerant reipublicae, litterarum amorem tunc restituendum esse putarint, quid fuerit in ipsis hominibus, ut post socordiam inaniumque rerum studia, quae superiore aetate plurimorum animos cum tristissima patriae calamitate occuparant, cupide omnia prae-

sidia, quibus depelli posse sperarent gravissimam servitutem, expeterent; sed hoc commemoro, illo tempore rectissime posse uti, qui antiquitatis studia suo quasi iure prae reliquis humanitatis studia et appellari et existimari censeant. Etenim verum si quaeras, ab illis tunc prodisse invenias non solum scholarum publicarum praestantiam, quam ex philologia maxime aptam esse nemo negabit, verum etiam philosophos acutissimos, theologos disciplinae suae principes, iureconsultos celeberrimos, in omni denique arte quo quisque plus valeret ad hominum animos alliciendos et formandos, eo quemque magis ab antiquitate esse profectum. Quare cum maximae litterarum partis communis quasi et nutrix esset philologia, ea eximio honore afficiebatur atque imperitiorum etiam favore adiuvabatur. Vulgo loquebantur homines de viris doctis eorumque studiis, quid quisque ageret, quid pararet, quid invenisset, ut etiam qui nihil intelligerent, ne ceteris inferiores esse viderentur, simularent tamen se intelligere. Ipsum etiam pro natura sua quaestus magis litterarii quam litterarum studiosum genus librariorum , quia emptorum copia abundabat, ultro ad nova opera suscipienda invitabat, quaeque oblata erant facile luculentis praemiis propositis recipiebat. A quo tanto studiorum ardore poenitet prope considerare quantopere nunc defecerimus. Sermones quidem ac studia hominum elegantiorum ad alia omnia abierunt, qui si quid omnino ferunt litterarum nec toti publicis privatisve negotiis occupantur, recens inventis quibusdam, antea latentibus, naturae viribus delectantur, externa quasi corporis commoda anxie quaerentes, humanitatis verae incuriosi. Ita fit ut ipsos libros hoc tempore de antiquitate scriptos possis quodammodo ab illis qui tunc prodierunt dignoscere. Tum, etsi magna non pauca opera suscepta sunt, quae nostra antiquitatis contemptio non facile admittat, editionesque veterum scriptorum tantae absolutae, quantas nunc redemptorum timor aggredi vix audeat, commune tamen fere erat, ut ipsa quasi antiquitatis pulchritudo quaereretur; nunc laboriose undique materies colligitur vel ad criticen scriptorum anxie exercendam vel ad antiquitatem cognoscendam, qua re

quantum proficiatur cum non dissimulem, sic tamen prope accidere video, ut, quae in ceteris rebus nostris dominatur utilitatis ratio, eadem in studiis nostris vincere videatur. Quae si conferatur cum illa, quam ingeniosam dicere licet, dubium esse non poterit, quin illa plus valuerit ad animos adolescentium ardore quodam antiquitatis inflammandos, qui ipse ardor quoniam illa aetate rebus publice gestis augebatur, facile intelligitur, cum in hanc urbem, quae nova lux in patria nostra extiterat, academia constituenda confluxisset virorumque doctorum praestantissimi quique congregarentur, Berolinensi academia nullam iuveni litterarum cupidissimo inveniri potuisse accommodatiorem. Quanta igitur alacritate, quanta delectatione Zumptium tantis copiis subito sibi oblatis occurrisse putamus? Itaque ex hoc demum tempore talem eum factum esse arbitror, qualis fuit postea, atque huius urbis, in qua natus esset, opportunitate ingenium eius totum eruditum ac conformatum. Unum afferam, quod cum aliis multis tum huic maximum studiorum urgendorum incitamentum extiterit. Proprium enim erat civitatis nostrae, semper coetuum et celebrationum honestarum amicae, ut sodalitates quaedam litterariae inirentur, parce ac modeste institutae, sed optimae aemulationis plenissimae. Legebatur fere Graecus aliquis scriptor, cuius critice examinaretur, dicendi genus cognosceretur, rerum explicatio quaereretur: accedebat coena tenuis, super quam sermones docti vel de novis libris vel de quo quisque maxime laboraret opere serebantur, ac prorsus ad imitationem veterum illorum Graecorum *συμπόσια* quaedam celebrabantur, animi delectatione quam corporis deliciis commendatiora. Quae consuetudo cum adolescentibus multis de causis sit utilissima, tum veteranis ipsis duo imprimis haec affert commoda, primum quod una aliqua quaestione occupati in universae antiquitatis cognitione retinentur, deinde quod, etsi varietate ingeniorum magnam omnino meditandi materiem subiici necesse est, a nimia tamen et anxia interpretatione arcentur idque in quoque scriptore maxime expetere discunt, quod cuiusque maxime est proprium, ut non immerito quibusdam ipsa *φιλολογία* ab ea

re, quod talium sodalium sermonibus promoveatur, appellata esse videatur. Ac quam in adolescentia Zumptius coeperat atque adamaverat consuetudinem, eam usque ad mortem tenuit constantissime; nullo ille conviviorum aut coetuum genere magis delectabatur quam iis, in quibus per varios de litteris sermones honesta animi remissio quaereretur. Vix igitur quisquam tunc erat in hac urbe paulo doctior, quem non cognosceret, quocum non litterarum aliquam societatem iniret. Possum praestantissimos in suo quemque genere nominare, qui nunc aut per academias Germanicas disciplinis suis summa cum laude praesunt aut ad alia vitae genera traducti excelluerunt, quorum plerosque Zumptius morum candore et studiorum ardore ita cepit, ut, quos litterae primum, eos deinde ipsi animi voluntatesque coniungerent. Sed abstinebo nominibus, ne, cum omnes commemorare nequeam, si aliquem praetermisero, imprudens crimen inveniam. Unum tamen etiam artiore cum Zumptio litterarum communione coniunctum nomine appellare debeo, Fr. Aug. Wernickium, iuvenem moribus integerrimis ingenioque praestantissimo, litterarum quidem ultra quam valetudo pateretur studiosum. Is cum ingentem laborem in poëtas Graecos contulisset, imprimis eos, qui heroico versu scripserunt, singulorum dicendi genus et veterum imitationem notasset multiplicemque versuum componendorum artem perdidicisset, tandem Thryphiodorum elegit, in quo recensendo et explicando quae invenerat referret. Sic praeclarum condidit commentarium, quo qui epicorum poëtarum Graecorum studia cognoscere cupiunt, plurimum uti consueverunt. Sed nondum descripto typis opere ac ne scripto quidem toto corporis vires scholis praeterea in academia habitis exhaustae defecerunt extremisque precibus cum mortem sibi instare intelligeret, ab amico petiit, ut inchoatum opus absolveret et ederet. Praestitit Zumptius, quod dolens amici casum alacriter receperat; nam commentarii magnam partem perfecit totumque opus exornavit epistola Fr. Iacobsio ex voluntate defuncti inscripta, qua vitam studiaque Wernickii enarravit,

tanta diligentia ac caritate, ut vera eos amicitia coniunctos fuisse sentias.

Sed haec quidem postea acciderunt; Tryphiodori enim editio prodiit anno **1819**. Studiorum autem ipsorum in academia Berolinensi dux praestantissimus tunc aderat Fr. Aug. Wolfius, pridem Zumptio cognitus, ut supra demonstratum est, postquam in hanc urbem rediit, unice ad admirandum et ad imitandum electus. De cuius viri virtutibus secundum egregiam laudationem a W. Körtio scriptam inutile videatur dicere, ex quo libro praeclare omnino universum ingenium Wolfianum cognosci potest. Neque ego hoc loco id agam, ut virum a multis celebratum, a quibusdam vituperatum aut purgem aut qualis vere fuerit describere coner, quod quidem nos, longe ab omni aut ira aut studio, quo tum animi hominum vehementer movebantur, seiuncti rectius quodammodo videmur posse facere. Sed abest id ab consilio nostro nec temptabitur. Illud autem huc pertinet paucis demonstrare, quibus maxime virtutibus suis Wolfius Zumptium excitarit, adiuverit, formarit. Nimirum Wolfius cum ea quae ipse Halae condidisset studia Berolini eo produci vidisset, ut et ad rerum antiquarum plenissimam cognitionem et ad diligentem illam, quae nunc placet, scriptorum tractationem incumberetur, etsi vel novam hominum et adolescentium et laudis cupidissimorum industriam posse a se aequari desperans vel, quia provectior iam aetate erat, fugiens laborem meritisque olim partis confidens, paulatim eam curam abiicere coepit, duo tamen retinuit bona maxima, ingenium, quod erat in eo prorsus admirabile, et pulchritudinis decorique scientiam, qua pauci eum unquam vicerunt. Iam ingenio suo ad erudiendos animos aptissimo incredibile est quantopere adolescentes capere consueverit. Neque enim satis est in docendo, ut res utiles afferas, quae adiuvant illae quidem, sed delectant fere paucos eosque peritiores, qui qualia sibi offerantur intelligant. Accedere oportet nescio quid illecebrarum, quod nescientes capiat animos, ut admirari, ut imitari, ut credere velint, quod quoniam ab in-

genio proficiscitur, magis cum adest intelligi, quam quale aut sit aut esse debeat verbis definiri potest. Hoc autem quicquid est, summum erat in Wolfio. Cui qui operam dabant, etsi parum ab eo laboris impendi ac nimis saepe lectionum spe sese decipi querebantur, quaeque dicerentur, non semper aut plena aut accurata esse intelligebant, quicquid tamen disputaretur, iucunde et ita disputari sentiebant, ut nulla re magis se incensos, nulla ad litteras alacri studio persequenda magis incitatos esse faterentur. A cuius non dico levitate, sed fiducia sui, qua et in scholis et in aliis rebus utebatur, etsi longe aberat Zumptius, hanc tamen ingenii praestantiam semper admirabatur. Quanti autem faciendum esse putamus, si adolescenti litterarum studioso magister obtingat tanta praeditus formae, ut ita dicam, scientia, quanta fuit Wolfius? Nam utrum praestet, rerum optimarum copia an formae eximia dignitas, difficile omnino dictu est: sin alterutrum utique sit optandum, haec nescio an praeferenda esse videatur. Qua quidem Wolfius quantum valuerit, testantur omnia quae scripsit, in quibus etsi quaedam et nunc melius sunt explorata et illa aetate fortasse rectius potuerunt cognosci, ipsam disputandi rationem dicendique genus summa laude esse dignissima nemo unquam negarit. Atque hanc artem Wolfius, cum reliquas negligeret, retinuit vel auxit de industria. Testes sunt interpretationes quas suscepit et Latina Platonis quattuor dialogorum et Germanica Homeri et Aristophanis, tanto artificio factae, ut, cum ómnes praestantissimas esse praedicarent, vix quisquam imitari ausus sit. Haec virtus Zumptium, naturali quodam sensu honestae dignitatis praeditum, non potuit non mirifica admiratione afficere. Adde, quod coniunctum erat cum hac quam modo dixi arte, quod in Latinae linguae facultate comparanda ita elaborarat, ut haud dubie optime et intelligere et scribere existimaretur. Quam laudem cum initio aetatis suae cum Ruhnkenio communicasset, tum nemo erat qui ad eam aspirare posset. Neque enim solum, quod nonnulli etiam minus eleganti Latinitate praediti fecerunt, acutissimis observationibus Ciceronis imprimis dicendi usum egregie

illustrarat primusque quid in eo intelligendo et aestimando spectandum esset, saepe docuerat, verum etiam, quae praecipiebat, ipse exequens colorem illum duxerat, quo, nisi natura ad eam rem factus sis, arte nulla imbuare. Quam perfectam Latinitatis scientiam cum in academia quamdiu erat admirabatur Zumptius, tum postquam studia sua ad Latinas potissimum litteras convertere coepit. Qui hac quidem in ratione quae praestitit, ea rectissime ex Wolfiana disciplina profecta esse dixeris. Quod cum ipse ita esse sentiret, pro ea quam habebat pietate Wolfium usque ad extremum coluit observantissime, eundemque sibi ducem ac magistrum fuisse saepe postea cum gratissima disciplinae recordatione commemorabat. Nam quae cum aliis discipulis illi intercesserunt vel aemulationis vel discidii causae, ex Wolfii non dicam nimia, sed magna tamen sui fiducia, quam viri suo iam ingenio praeclare usi ferre nollent, profectae, eae nullae erant in Zumptio, qui cum incenderetur certamen adolescentior erat nec magistro tanto non omnia concedenda esse putabat. Nec vero Wolfius quanti tantum discipulum faceret aut quid de eo speraret, dissimulabat, sed et varia deinde temptantem consilio atque auctoritate adiuvabat et palam Latinarum litterarum scientiam praedicabat. Velut in schola aliqua, cum de arte Latine scribendi disputans eos, qui ea praestitissent, enumeraret suaque aetate paulatim deficere quereretur, duos omnino dixit Berolini esse homines qui scirent Latine; quorum alter quin esset ipse, ita esse non dubium, ut dicere non vereretur, alterum esse aetate quidem iuvenem, sed scientia veteranum, Zumptium. Admodum hoc ille quidem severe et hoc agens, ut de quorundam laude de industria detraheret, sed quid tamen iam tunc existimarit apparet. Ita cum mutua inter se caritate studiorumque communione coniungerentur, factum est ut idem vitae generis eligendi et ad rem scholasticam transeundi auctor existeret Zumptio.

Nimirum res ita accidit. Iam sextum anno **1812**. studiorum academicorum agebatur semestre. Cogitare hic paulatim quem vitae cursum esset initurus, meditari quomodo

rei familiaris angustias emendaret parentumque optimorum curas sublevaret, sed nescire quam viam ingrederetur; prospectare etiam nonnunquam ad rem scholasticam, ex qua et promptum stipendium quaereretur neque transitus ad alia, si ita res ferret, theologica studia intercluderetur; verum haerere, sibi diffidere, in cognoscendo etiamtum quam in quaerendo versari malle. Tum mense Iulio accidit ut apud Wolfium cum A. F. Bernhardio conveniret, rectore gymnasii Friderico-Werderani, tunc urbis nostrae haud dubie celeberrimi. Qui cum inter gymnasii sui magistros Wolfii potissimum discipulos, quos eleganti doctrina expolitos esse nosset, recipere cuperet, sermo incidit, ut paucas scholas apud se vacare diceret, quas cui deferret se nescire. Ostendit Wolfius Zumptium eumque eximie collaudans idoneum esse significat. Placet rectori adolescens quamvis modo vigesimo aetatis anno expleto gravitatem tamen quandam ac voluntatis constantiam referens. Colloquitur cum eo, quaerit de eius rebus, proponit denique quid velit. Quid multa? Accipitur utrimque condicio paucisque diebus interiectis non examine ullo temptatus, non puerorum ullo usu exercitatus, Zumptius ad gymnasium Werderanum admittitur.

Ea tunc erat in hac urbe scena omnium longe celeberrima, in qua qui arte scholastica valeret, et quasi igni spectatus putabatur et celeriter praemia merita ferebat. Qui enim ei praeerat Bernhardius aetatis suae ingenium callidissime perspexerat ac si quem invenerat, in quo eximiam virtutem cognosset, eum omni ratione evehebat. Quamquam difficile sane erat adolescenti ab umbra subito et studiis dimisso in sole ac pulvere recte versari, vexabaturque non mediocriter a pueris, ut fit, novi magistri quasi periculum facientibus, ut principio sibi disciplinam parum constitisse confessus sit. Sed tulit ita fortuna, ut paulo post feriae aestivae interiicerentur, quae duas ei opportunitates obtulerunt, primum ut examen ad obeundum publici magistri munus necessarium superaret, deinde ut meditatione domandorum puerorum artem inveniret. Atque examen quidem non celerius est initum quam felicius peractum.

Nam intra tres hebdomades et admissio petita et Theocriti carmen, quod iniunctum erat, commentario docto illustratum quaestioque paedagogica scripta et scholae probatoriae habitae et ipsa denique quae voce fit spectatio peracta eaque omnia ita absoluta, ut eximiam esse in sese indolem solidamque doctrinam probaret. Quae ipsa tanta celeritas, si alia nulla essent testimonia, quanta assiduitate studiis operam dedisset, demonstraret, a qua quantum distat illorum tarditas, qui, tamquam discrepet examen cum studiis, non dico longum, sed proprium tempus illo apparando consumendum esse opinantur. At maiorem animi anxietatem afferebat puerorum vincendorum cura, sed effecit tamen ut, cum post ferias ad scholas rediret, non solum puerorum lasciviam superaret, verum volentes et ardore flagrantissimo impletos quocunque vellet duceret. Quare cum vehementer placeret Bernhardio, cito transactum est etiam illud, ut rite magister gymnasii crearetur. Quo in negotio non videtur esse silendum, quod animi Zumptiani simplicitatem praeclare demonstrat. Cum enim de munere deferendo ageretur, Bernhardius solitas per hebdomadem scholas et centum viginti thalerorum annuum stipendium offerebat. Illud vero indignum videbatur Zumptio, publicum gymnasii frequentissimi magistrum tantulam mercedem accipere, negabatque ita rem posse convenire. Tum illo, quantum tandem postularet, quaerente decem, inquit, addantur thaleri. Ac subridens rector, qui aliquanto plus et expectasset et facile concessisset, datum iri respondit. Ab qua modestia quantum discrepat hodie nostrorum magistrorum ratio, qui quadam prope mercenaria elati arrogantia, non id agunt ut plus merere quam accipere videantur, sed ut ipsa merita quasi praecipiant. Quamquam ne illud quidem taceri par est, cognita semel praestantia celeriter eum auctum esse etiam externis illis operae praemiis, ut et in gymnasio Werderano postea satis luculentam provinciam tueretur et in Ioachimico luculentiorem acciperet. Sed iuvat tamen meminisse, a quantulis initiis saepe magni viri profecti sint.

Ac quoniam in hunc locum pervenimus, ut de scholasticis

Zumptii muneribus dicamus, faciendum videtur esse, ut de omni eius arte scholastica pauca exponamus, qua cum tantam laudem ac famam adeptus sit, quantam pauci per patriam nostram tenuerunt, sint fortasse, qui quid de ea sentire, quomodo in ea versari consueverit, cognoscere cupiant. Omnis autem ars scholastica duabus quasi partibus continetur, quarum prior eorum qui tradunt, altera eorum quae traduntur est propria. Illius praecepta nulla tradi possunt universa, quia alius aliam habet naturam, quodque unum decet unique omnium animos conciliat, idem alter si facere velit, locum suum tueri nequeat. Hic enim pueros regit comitate, ille severitate, hic capit aequabili quadam animi temperatione, ille urbanitate, hic, si iocum aliquando interserere velit, rideatur, ille nullam auctoritatis iacturam faciat. Quare fieri videmus ut, id quod nunc multi sane facere solent, qui de hac scholasticae institutionis parte praecipiant, inania multa proferant. Semper enim fuerunt boni magistri plurimaque, quae a quibusdam tamquam recens inventa clamantur, pridem et meliora in aliis fuisse reperiantur. Quamquam non is sum, qui in hoc genere nihil praeceptis, nihil exemplis, nihil imitatione disci statuam; sed haec duo cavenda, ne aut, quae tu tibi apta esse intellexeris, eadem reliquis omnibus apta esse censeas, aut, quodcunque alios decere videris, temere ad tuam naturam transferas. Veruntamen haec quae magistrorum est propria scholasticae institutionis pars, cum sit ex eo genere quod diximus, duae res apertae erunt, primum eo quemque fore meliorem magistrum, quo melius, quod naturae suae proprium sit, quisque perspexerit atque exercuerit, deinde eo quemque fore praestantiorem, quo praestantiorem indolem nactus sit. Ita, quae de Zumptii arte scholastica suscepta erat disputatio, etsi fere ad mores ingeniumque eius universum, de quibus dicendi infra nobis locus constitutus est, traducitur, quaedam tamen iam nunc afferenda sunt. Etenim haec quae diximus cum ita esse Zumptius prorsus intellexisset, primum puerorum animos eo capiebat, quod verus omnino erat talemque se ubique exhibebat, qualis erat. Nihil nec dissimulabat nec simulabat, nullum

artificium excogitari posse putabat, quo veritas illa compensaretur. Nam etsi certum est, aliis aliam magistrorum naturam placere pueris nec fieri potest, ut eadem omnes aequaliter delectentur, unde sapientissime in scholis nostris institutum est, ut pluribus discipuli utantur magistris, ex quorum multitudine unum certe vel alterum possint invenire, ad cuius exemplum conformari velint — veruntamen etsi alia placent aliis, nemo tamen usquam est, recte quidem a natura informatus, cui, qui remotus ab omni simulatione non alius esse velit atque est, non placeat. Quod cum valeat in omnibus hominibus, tum ad adolescentulorum animos, qui nondum ulla infecti labe quicquid sincerum est, idem bonum esse existimant, nullus est aditus praeter hunc. Sume hominem natura comem et lenem. Is si prava aliqua quamvis boni exempli imitatione permotus severitatem induere velit, non possit totum se ita in alienam naturam abdere, ut non particula aliqua suae eluceat, quae animadversa efficiat, ut nec constantiam nec auctoritatem tueatur. Quare memini, cum interdum sermo incideret in homines et bonos et doctos, qui saepe experti impares tamen disciplinae scholasticae inventi essent, Zumptium hanc imprimis eius rei causam significare, quod alii illi esse voluissent atque essent; qui si sua virtute contenti id operam dedissent, ut sui ingenii bona persequerentur, quin vehementer placerent pueris fieri non posse. Ac cum illam veritatem sibi ipsius muneris officio impositam esse arbitraretur, incredibili studio laborabat, ut suam naturam cognosceret et id quod eius maxime esset proprium sequeretur, non modo eam ob causam, quam sapientissimus Graecorum divinitus olim proposuit, illud omnis virtutis principium esse existimans, verum ut in institutione scholastica ne quid unquam ab eo quod decet desciseeret. Quo in genere diversissimus erat ab eo, qui tunc gymnasio praeerat, Bernhardio, viro ingenioso, sed minus in hac re religioso. Qui cum satis esse existimaret, talem videri qualis esse vellet, multa saepe simulabat, nonnihil aliquando dissimulabat, ut, cum obiurgaret aut laudaret, quamvis callidissime eam quam oporteret speciem indueret, veri tamen animi significatio nonnun-

quam proderetur. Quare etsi plurimum poterat, a quibus penitus cognoscebatur, ii non minus illi quidem ingenium laudabant, at hominem parum probabant. Quamquam sane frustra laborasset Zumptius, nisi eam natura nactus esset indolem, quae cognita quemvis et admiratione et caritate afficeret: tanta erat naturali veri cognoscendi cupiditate, tanta integritate, tanta bonitate. Quod enim Quintilianus optimum oratorem instituens tamquam primum ponit, ut bonum eum virum esse velit, id haud scio an rectius ad magistros adhiberi debeat. Nam ceteri quidem homines si quem vident magno ingenio praeditum aut insolita arte praestantem, quia fere id spectant, ut ingenio aut arte eius vel adiuventur vel delectentur, ferunt saepe minus bonos mores excusantque naturam ab ea, quam in homine recte postulare possis, abhorrentem. At pueri litteras non curant, eruditionem eatenus amant, quatenus a magistro traditur, denique non rem, sed hominem sequuntur, quem si probi et benevoli et recti animi esse cognorint, si quid in eius scientia deficiat, facile praetermittunt. Ita nullum umquam naturae bonitatis maius periculum fieri dixeris quam in schola et magistri. Zumptii autem natura qualis fuerit, infra dicetur. Quae cum optima obtigisset, tum habebat hoc, quo nihil prope maius homini dari potest, eximiam religiositatem et constantiam in omni quod suscepisset munere; quare simulatque ei aliquid delatum est publici officii, id, tamquam a deo ipso iniunctum esset, ita tuebatur, ut nihil, quod ulla ex parte eo pertineret, omitteret. Itaque ubi munus scholasticum tetigit, intermissis interim quibus tunc operam dabat studiis illud unum sibi agendum esse putabat, ut scholis quam optime fungeretur. Atque ipse initio expertus erat, quam non esset facile, iusta disciplina continere pueros. Quod cum soleat ita fieri, tum illo tempore nescio quo pacto difficilius videtur fuisse quam nostro. Ingentes enim erant classes, quas voce ipsa atque oculis perlustrare haberet aliquem laborem, nedum ita regere, ut adolescentes ardore litterarum discendarum incensi ob eamque ipsam rem alacriores id, quod agendum esset, recte agerent. Tum finge tibi animo hominem, qualis tunc erat Zumptius,

corpore procero figuraque admodum gracili, a qua elegantia omnis abesse videretur, adde adolescentem puerorumque, quorum ingenia nunquam antea temptasset, omnino rudem. Is si subito in discipulorum multitudinem prodeat, nonne risum potius excitare videatur quam admirationem laudemque invenire? Sed per ferias aestivas, ut diximus, Zumptius meditatione puerorum regendorum artem didicit, qua meditatione nihil omnino in bono magistro magis est necessarium. Etsi enim eum, quem quasi perfectum magistrum nobis finximus, non ex vero aliquo exemplo sumpsimus, nasci quodammodo, non fieri demonstravimus, quantum tamen etiam in hoc valeat id ipsum, ut esse velis quod esse debeas, apparet. Itaque primum Zumptius magna cura laborabat ut, quo eum dignitatis cum gravitate coniunctae studium natura ei tributum impellebat, externam quasi docendi rationem excoleret, ex eaque quicquid minus videretur decere, diligenter amoveret. Scio nunc esse quosdam, quibus nihil magis placeat quam magister huc illuc per puerorum ordines decurrens, modo efferens vehementer vocem, modo remittens, denique in omnes partes corpus coniiciens discipulorumque corpora exagitans. Haec qui habeat, ab eo praeclare disciplinam administrari putant, hunc esse alacrem, ut volunt, magistrum, hunc aptissimum ad pueros erudiendos. Quasi vero aut corpora, non animi movendi sint aut omnino dignitas, a qua bonum magistrum certe nunquam recedere oportet, in motu, non in aequabili quadam quiete posita sit. Ab hac ratione longissime aberat Zumptius, et ita aberat ut, quod in arte scholastica summum est, consecutus esse videatur. Spreta illa corporis volubilitate unum aliquem locum eligi iubebat, unde conspici possent adolescentuli obtutuque ipso, si quid accidisset, facile coerceri, hoc loco ita manere magistrum, ut raro nec sine causa discederet imprimisque iactationem illam vitaret, ex qua magna fit significatio non adesse constantiam. Sedere quidem minus placebat; sic enim ardor disciplinae paululum extinguitur; stantem rectissime dicas posse non suam modo alacritatem servare, sed discipulorum etiam animos erectos tenere. Ac consimile est, quod quidam in ipsa voce ni-

mis contendunt, ut magnitudine eius adolescentulos excitent, qui rerum iucunditate, non sono capiendi sunt, ac, quoniam etiam magno sono paulatim assuefias, vel clamantem magistrum, si parum recta ratione utatur, negligere discant, praesertim cum vox eius ne leviter quidem arrectas aures ferire non possit. Quare, si alterutrum utique est optandum, magis omnino probatur remissior vox, modo pronunciatio ipsa sit pressa et clara, quae intelligi possit: intendenda ea aliquando nec saepe, sequendaque in omnibus aequabilitas illa, qua nihil in bono magistro est praestantius. Haec non ideo modo affectabat Zumptius, quod natura eius a contrariis rebus abhorreret, verum quia optimi magistri, cuius exemplum sibi effingendum esse putabat, haec esse sibi persuaserat, meminique saepe eum et aliis sic praecipere et quantopere ipse in his rebus laborasset explicare. Possum alia eiusdem modi multa afferre, quae ille quasi pro subsidiis disciplinae consueverit saepe invenire cum magna ingenii ubertate, delectabaturque tantopere his, quae quodammodo *στρατηγήματα* appellare possis, ut, postquam scholam deseruit, eadem ad alia negotia transferret ab iisque, qui indolem eius vere scholasticam ignorarent, parum intelligeretur. Sed pauca ipsius generis exempla posuisse satis est; neque enim de arte scholastica disputamus, sed unum illum qualis fuerit describere cupimus. Omnino autem imperator quasi quidam sibi esse videbatur, cui milites ducendi essent ad litteras, tamquam ad hostem communem, vincendas ac capiendas. Quare, ut imperatores, antequam proelium ineunt, cohortari solent commilitones, eorum fortitudinem laudare, quae antea magno animo gesserint commemorare, hostium autem virtutem et multitudinem elevare, vel si fateantur, maiores tamen suas vires ostendere, sic ille agebat, ut magis cum adolescentulis scientiam, quam scientiae ope adolescentulos capere velle videretur. Itaque facile probabat, quicquid quisque praestitisset, raro ad castigandum accedebat, et ita, ut id invitum sese et necessario facere ostenderet. Quodcum admonendum erat, paucos castigabat, laudans universos idque dicebat esse boni et imperatoris et in republica principis, qui quamvis a

plurimis peccari videret, in paucis tamen consistere deberet, quorum poena reliqui deterrerentur. Unde fiebat ut inter discipulos etiam qui minus vel ingenio vel industria valerent, quia sibi quoque aliquid laudis tribui intelligerent, excitarentur eumque eximie diligerent, ad litteras etiam ipsas, quarum discendarum non omni spe excluderentur, promptiores fierent. Eumque morem postea ita tenuit, ut, quod in quoque homine vel in quaque re esset bonum (nec fere quicquam est, quod omni bono careat), id in quoque maxime efferret, vitia non dissimularet ille quidem, sed, quantum veritatis ratio pateretur, premeret, quae virtus quam sit et difficilis ad tenendum et laudabilis in eo, cuius vita prope universa in reprehendendo ac corrigendo versata sit, apparet.

Huc igitur primum meditationem convertit Zumptius, ut talibus artibus suum ipsius animum temperans et ab omni actionis temeritate, qua nihil magis dedecet, revocans pueros ad quietem redigeret; verum posito illo omnis institutionis fundamento, ut recte obediretur, longe maiore meditatione opus esse intelligebat ad conservandam illam obedientiam et ita incendendos animos, ut quae traderentur non reciperent modo, verum ultro appeterent. Quod simulac semel coeptum est fieri, ut in militibus victoribus, remitti adeo paululum potest de reliqua disciplina. Maxima enim in litteris ipsis posita est educandi vis, quas qui vere adamarit et discere inceperit, quomodo animum inducere possit, ut ea disturbet, quibus sublatis disci nequeat? Deinde quae potest inveniri externa aut ars aut vis, ei voluntati par, quae ex litteris, omnium optimis magistris, paratur? Litterae autem ut celeriter et libenter discantur, fit eo, si recte et ratione tradantur. Eo igitur altera magistri meditatio intendenda est, ut ea quae traditurus est, postquam ipse accuratissime cognovit, quomodo tradere velit reperiat. Quo in genere quanto opere Zumptius prope cum calumnia quadam sui laborarit ut perspiciatur, duas res narrabimus. Primum cum accidisset ipsi semel vel iterum, quod magistro, praesertim fervidioris animi, nulli accidere non potest, ut tumultuarentur discipuli, quos ipsos tumultus auctoritate

sua facile compescuit, tanta erat modestia tantoque se ipsum emendandi studio, ut non iniuria adolescentulos succensuisse narraret ac minus se vel animo suo temperasse vel recta docendi ratione usum esse. Quod cum ita sentiret, iam vitatis iis quae displicuerant, cito omnes ad veram poenitentiam redigebat. A qua tanti viri modestia, qui cum veteranus esset artis scholasticae, errorem tamen suum sibi fateretur, quantum discrepat illa multorum tironum consuetudo, qui ubi unam vel alteram horam cum mediocri quiete transegerunt, mirifice sibi ipsi placent ac praeclare a se rem geri opinantur! Quod maxime illum memini pro mali et imperiti magistri indicio habere esse solitum. Ipse singulas scholas aiebat esse meditandas et secundum artis regulas constituendas, ut omnes partes aequaliter inter se convenirent. Ut cum scriptor vetus interpretandus esset, primum definire iubebat, quantum quaque schola explicare velles, quod si casui permitteretur, negabat posse effici, ut aequales essent omnes partes. Iis vel ad clepsydram constitutis pensis iam, tamquam in spectaculo res gereretur, meditari magistrum oportere secum ipsum interpretantem discipulique mediocris ingenium animo fingentem, quid ille esset peccaturus, quid quaerenti responsurus. Tum rebus ipsis, ad quas institutio dirigenda esset, repertis speciem esse formamque exercendam, ut non modo quid, verum etiam quomodo quidque traditurus esses, antequam scholam ingredercre, prorsus constaret. Ita singulas scholas paulatim esse componendas, tamquam aut librum aliquem aut poëma aut artificium, in quo omnis partium discrepantia vitanda esset, conficeres. Atque haec, ut praecipere solebat aliis, ita quamdiu in re scholastica versatus est, servabat religiosissime exemplumque aliquod quasi divinum omnibusque numeris absolutum imitabatur, quod, cum assequi nequeas, nisi sequare, ad nullam unquam praestantiam pervenire possis. Quare plurimorum scriptorum, quos in schola praeibat, summa diligentia interpretationes et iustos commentarios conscribebat, historicarum lectionum omnem seriem accuratissime explicabat, in grammaticis denique assidua cura laborabat. Neque omnino ingenium humanum natura ita com-

paratum est, ut sine exercitatione multum valeat. Nam si Demosthenes et Cicero, summo ingenio homines, quales paucissimi extiterunt, ut in ea, quam ipsa natura auctore sibi delegissent, arte excellerent, perpetua meditatione utebantur nec fere ad ullam causam imparati accedere audebant, quid dubitabimus de reliquis hominibus? Ac cum ingenium industria destitutum parum efficiat, ipsa meditatio diligens vel mediocri indole adiuta prodest aliquantum et, quia homines ingenium a deo datum minoris solent facere quam exercitationem in hominum potestate sitam, maiore nonnunquam honore afficitur. Quodcum ad religiositatem illam, quam in Zumptio singularem fuisse exposuimus, ingenium accesserit a natura ad rem scholasticam imprimis factum, quid est quod miremur, tantam eum laudem tulisse, quantam et discipulorum grata recordatio et omnium hominum rei scholasticae peritorum consensus ei tribuere solebat? Nascitur autem ex diligentia praeparationis etiam illud, ut fidem habeant discipuli. Qui si videant, nihil esse quod non cogitaris, nihil in quo haereas, celeriter fit ut, quicquid dixeris, id illi certissimum esse iurent, qua re nihil accommodatius est ad admirationem comparandam. Quo in genere eo magis placebat Zumptius, quod collegae eius, quamvis boni et periti magistri, minus tamen litterarum ipsarum solida ac perfecta cognitione nitebantur.

Talis igitur, si modo paucis eam adumbrare aut omnino verbis consequi potuero, Zumptianae disciplinae erat imago, qua quem putamus fuisse qui non mirifice caperetur, qui non incredibili ad litteras colendas excitaretur studio volensque eum sequeretur, quem sibi et certum et bonum ducem esse videret? Quamquam paululum adiuvabatur aetatis illius, quae saepe nobis praedicanda est, ingenio, longe quam nostra est ad omnia humanitatis studia pronioris. Itaque non difficile efficiebat, ut ipsi discipuli, quantum cuiusque vires paterentur, in litteris antiquis elaborarent. Hic, qui altiora iam spectaret, privatim venia petita codicem aliquem manuscriptum conferebat, ille Latinitatem suam exercebat summa industria, alii agebant sua sponte aliud: omnes autem magistro, quem rebus

grammaticis delectari nossent, certatim, quod in quoque scriptore observassent, offerebant. Quem ardorem adolescentium qui excitarit, quoniam non omnia tradi possunt, sed plurima suo cuiusque studio relinquenda sunt, plurimum omnino in re scholastica videtur praestitisse.

Pertinebat autem omnis eius institutio scholastica ad linguas veteres tradendas et ad historiam veterem enarrandam. Casu id primum accidit, quia earum rerum magistri in gymnasio Werderano deerant, tum confirmatum est ipsius in hoc genere praestantia. Ac de ceteris quidem partibus eius institutionis paulo post dicetur, ubi libri ex ea nati commemorabuntur: nunc id unum explicabimus, quomodo Zumptius scriptores veteres discipulis praeire consueverit.

Atque omnino quidem grammaticae in scholis plurimum tribuendum esse putabat: res veterum populorum scriptorumque pulchritudinem posse fortasse etiam alia ratione percipi, sed linguarum ipsarum veterum qui accurata cognitione carerent, eorum mentes esse inchoatas et aliqua parte imperfectas. Nec dubium est quin recte ita statuerit eruditionisque grammaticae causa sit ea, quae maxime efficiat, ut adolescentes scriptorum veterum lectione assidua exercendi esse videantur. Sed huic rei peculiares sunt scholae constitutae ac magnopere fallantur, qui scriptores dum praeeunt discipulis, nisi grammatica nihil agant. Quae etsi nunquam in lectione praetermittenda sunt, usu tamen tum quidem magis imbibenda quam demonstranda sunt imprimisque animus eo advertendus, ut scriptore ipso alatur. Itaque Zumptius, ut in multis aliis rebus, ita in hac maxime probabat Spaldingianam rationem, cuius praestantiam ipse expertus erat, rectam et simplicem et veritati illi, quam perpetuo sequebatur, accommodatissimam. Aberat enim ab omnibus ingenii aut disciplinae ostentandae ineptiis, quibus alii magistri nonnunquam in errorem inducuntur. Veluti cognovi hominem et doctum et artis suae peritum, qui discipulos, antequam Tacitum Germanice verterent, prohiberet legere Latina, ut scilicet primo obtutu omnia intelligere viderentur; si quid esset difficilius, secum ipsos tacite considerare

iubebat. Qua in ratione quid inesse dicas nisi inanis gloriolae captandae studium, ex qua pereat, quod commodum Latinitatis discendae nisi viva voce comparari non potest? Gravius peccabat alter, qui, quasi pueri ita perdidicissent eundem subtilissimum scriptorem, ut eum tamquam patria lingua utentem intelligerent, negabat opus esse Germanice eum verti; recitari volebat Latina ac pronunciatione ipsa sententiam significari. Is nonne de industria alere videatur levitatem illam puerilem, ad quam vincendam accurata veterum scriptorum interpretatione nihil prope potest inveniri aptius? His et talibus vitiis (possunt enim multa in eo genere disputari) sedulo vitatis Zumptius lectis Graecis Latinisve interpretari iubebat interpretantemque diligentissime sequens, quicquid is peccarat vel liberius verterat, notabat, non cavillans ulla ratione, a qua malignitate longissime eius animus aberat, sed addens animos dubitantibus et laude excitans. Ita dum modica celeritate quod ipse sibi universae scholae pensum ante constituerat, in multa parva discipulorum causa dividens procedit, aliquando tamen, ut remitteret paululum animos, interiiciendam esse existimabat narrationem aliquam perpetuam. Tum reclinato in cathedram corpore, ut penitus cogitantis speciem praeberet, aperire incipiebat antiquitatis cognitionem, qua iam adolescens erat amplissima. Narrabat vel de homine aliquo, cuius mentio facta esset, quid ei notabile accidisset, quo patre, quibus maioribus, quibus studiis fuisset, vel de consuetudine aliqua veterum, vel de legibus atque institutis, eaque tanto ardore, tanta iucunditate demonstrabat, ut adolescentuli suarum rerum obliti illa quae praedicaret tempora tamquam omnium praestantissima adamarent, summaque antiquitatis caritate incenderentur. Non cuiusvis est magistri hoc facere, requirit enim non modo cognitionem, verum etiam elegantiam, nec saepe est faciendum, ne pueri in audiendo omnem institutionem positam esse existiment, sed, si qui possunt, non invidenda aliquando pueris haec delectatio. Legebat autem in schola Latinos scriptores omnes fere, qui solent legi, Curtium quidem, elegantissimum summi regis praeconem, ipse primus reduxit, Graecorum cum alios,

tum tragicos, imprimis Sophoclem. Latina lingua in scriptoribus Graecis explicandis, cum discipulorum scientia patiebatur, plurimum usus est eaque re et Latinitatis facultatem magnam sine molestia comparari nec Graecae scientiae quicquam detrimenti afferri putabat, in Latinis scriptoribus eadem uti noluit. Quia enim longe maxima pars in eo posita est, ut recta interpretatio inveniatur, qua inventa explicatione aut nulla amplius aut brevissima opus est, quicquid Latine loquendo consumitur temporis, id ipsi scriptori subtrahitur. Est sane etiam aliud quoddam genus interpretandorum scriptorum Latinorum, ut ii non vertantur Germanice, sed sententia Latine explicetur, qua re imprimis magna Latine loquendi facilitas paratur atque etiam illud paulatim fit, ut intelligatur scriptor. Sed duo tamen sic pereunt bona, primum exercitatio illa linguae patriae, quae maxima efficitur vertendo, deinde intellectum accuratum et in intima quasi penetrantem nisi Germanice vertendo non facile assequare. Atque hac accurata interpretatione, qua Wolfiana potissimum disciplina eum initiarat, Zumptius praestitit eximie, quae ars sane est difficillima. Nunc quidem vereor, ne ipsa aetas nostra vel cum iactura Latinitatis nostrae linguae exercitationem omitti nolit: tum etsi aliter licebat, suo ille iudicio hanc potissimum veterum scriptorum tractandorum rationem sibi eligebat.

Veruntamen timeo hercle, ne longus quibusdam esse videar, qui in iis me rebus commorari intelligant, quarum testes sint mentes multorum hominum praeclare excultae et ad studia conformatae, non libri aut alia, quae intuendo cognoscere liceat. Propero igitur, sed invitus tamen et ita, ut aegre ab optimi magistri exemplo, quod in illo expressum invenire soleo, divellar, propero igitur ad libros, quos scripsit Zumptius, cum ipsa eius institutione scholastica coniunctissimos. Ac quoniam grammaticam maxime rationem eum spectasse diximus, de hac primum disputemus. Quae quam fuerit in scholis illo, quo Zumptius erudiebatur, tempore neglecta, ex iis, quae supra a nobis explicata sunt, satis intellectum esse putamus: ipse etiam Buttmannus, qui grammatica praestantissima scribenda praeclare

de litteris Graecis meruisset, in schola etsi multa singula aut exponebat aut emendabat, perpetuam doctrinam aspernabatur. Nec sane grammatica Latina (nam de hac sola dicemus) ita tunc exculta erat, ut ad id negotium aut invitaret aut magistros minus peritos accedere pateretur. Regnabat enim in scholis Broederiana, edita primum Lipsiae anno 1787., post saepe repetita, quae qualis fuerit, paucis iam notum esse arbitror; sed iucundum tamen erit ad eam paululum memoria redire, ut, quantum ab ea profectum sit, perspiciatur. Primum igitur grammaticae eam partem, quae formis atque elementis linguae tradendis constat, incredibilem in modum videmus esse debilem ipsoque spatio coartatam, quippe quae quintam fere universae grammaticae partem efficiat, quare puerulis fortasse quae traduntur sufficiant, qui paululum profecerunt, undique se destitui sentiant. Nihil igitur ibi invenias nisi vulgaria quaedam et admodum tenuiter exposita praecepta, quae si aliqua ratione essent composita, praeclare videretur esse actum. Nam ne illud quidem, quod in tanta argumenti exilitate iure postules, ut commode explicentur praecepta, ullo pacto praestari videas. Velut in coniugationibus, quae in quavis lingua sunt difficillima, verba a reliquorum formatione discedentia prorsus negligebantur discentiumque ipsorum fortuitae observationi permittebantur, in quorum numero cum sint ea, quae frequentissime usurpantur, quae ob eam ipsam rem, quod ad necessarium usum vitae ac cogitandi primum inventa sunt, id tempus, quo ex certis regulis lingua formari coepit, antecesserunt, fiebat ut a discipulis robur illud linguae, quo reliqua omnia nituntur, turpiter nesciretur. In syntaxi equidem, quae vocatur, non negarim quaedam a Broedero non incommode esse exposita atque ita, ut puerorum captui consuleret, imprimisque magna exemplorum copia ex scriptoribus Latinis petitorum, quae eadem sententiae utilitate atque elegantia commendarentur, praecepta illustrabantur, qua maxime de causa videtur esse factum, ut liber tantopere propagaretur. Sed ipsorum tamen praeceptorum quanta est confusio! Res simillimae in multos locos stultissime discerptae, dissimillimae turpiter coniunctae, ut pror-

sus farraginem quandam atque inconditam observationum materiem temere congestam legere videare. Quamquam etiam fortuita haec praeceptio poterat aliquam Latinitatis scientiam gignere, si ab eo profecta esset, qui usum linguae diligenter teneret aut acute, quid eius proprium esset, perspiceret. Verum, quia universa res scholastica fere contemnebatur, quique ei operam dabant, si altiora in litteris sibi proponerent, doctrinae plena quam adolescentulis utilia opera condere malebant, ita tum acciderat ut homines fere mediocriter Latine docti grammaticas scriberent. Nam summi illi philologi, qui Latinitatis scientia excelluerant, aut aemulandis elegantia veteribus scriptoribus aut docte illustrandis ac recensendis intenti, quid curaverant grammaticam? Ipsi quo usu ac veterum quasi familiaritate doctrinam adepti erant, eodem pueros erudiendos esse existimabant, et recte quidem, quamdiu hae unae litterae erant, quibus aut formari posset ingenium humanum aut opus esset ad vitam negotiosam. Post, ubi tot alia studia in disciplinam scholasticam necessario recipienda fuerunt, ars quaedam erat invenienda, qua vetera illa non minus, sed compendiaria quadam via traderentur. Veruntamen ita factum est, ut grammaticarum scribendarum cura ad eos descenderet, quorum humeri tanto oneri impares essent. Itaque nullum usquam prosae et poëticae orationis discrimen observatum, scriptorum ipsorum nullus delectus habitus, qui pro norma quasi Latinitatis habendi essent, quorum scribendi genus viris doctis esset utile, adolescentulis noxium, denique quia lingua quid postularet, quid ferret, quid non ferret, ignorabatur, nihil usquam ita praeceptum, ut, quae regula esset, quae exceptio, appareret. Adde ad haec, quae ex imperitia et confusione nascatur necesse est, garrulitatem quandam vix ferendam, ut nunquam res ipsa explicaretur, sed de ea disputaretur. Nam capita ipsa, quibus liber constat, sic fere inscribuntur: *Quaedam de infinitivo; explicatio comparativi et quaedam etiam de superlativo; de nonnullis coniunctionibus; de usu pronominis relativi cum accusativo et infinitivo, cum comparativo, cum aliis sententiis coniuncti,* similiter. Multa etiam talia invenias, im-

perativi explicationem, quae nec supervacanea sit nec ipsa iusti capitis spatium expleat, huic vel illi loco posse adiungi. Haec nunc quis ferat? cui non risum vel indignationem moveant? quis non tali disciplina corrumpi, non erudiri putet adolescentulorum ingenia? At tum non ferebant modo, verum laudabant. Quamquam quid consequi consueverit, supra expositum est.

Insigni usi sumus exemplo, ut, quae tunc vitia grammaticae Latinae tradendae communia fuerunt, demonstraremus. Nam ceterarum grammaticarum plurimae rectiore ratione institutae sunt. Velut I. I. G. Schelleri grammatica, anno 1779. primum edita, viri de cognitione Latinitatis etiam per lexicon Latinum quod scripsit bene meriti, etsi ea quae notavimus non effugit nec quibusdam disputandi ineptiis vacat, longe tamen maiorem artem prodit. Quare mirari satis nequeo, qua iudicii perversitate factum sit, ut per has tunc regiones propter quandam commoditatis speciem, non veritatem Schellero succedere iuberetur Broederus. Sentiebatur tamen vulgo a peritioribus, quantopere grammaticam Latinam tandem salubriore ratione tractari opus esset. Ita natae complures grammaticae in scholarum usum destinatae, ex quibus nominabo E. I. A. Seyferti Magdeburgensis, anno 1803. primum editam, et Helfr. Bernh. Wenckii, anno 1814. emendatam et quasi restitutam a Georg. Fr. Grotefendio. Neutra earum caret doctrina ac studio, ut etiamnunc ab iis, qui Latinarum litterarum accuratiorem cognitionem quaerunt, cum aliquo fructu legantur. Seyferti quidem maior grammatica abundat doctrina hominemque ostendit summa cupiditate in scriptoribus veteribus versatum, quare multa, quae a superioribus temere credita erant, correxit, multa ipse nova invenit. Sed carebat elegantia et diligentia critica, ut in iis quae tradit admodum cavendum sit, ne aut loco aliquo male intellecto aut aperte depravato decipiare. Neque illud praestitit, ut aut certos fines bonae Latinitatis describeret aut praecepta ipsa ratione atque ordine explicaret. Quo in genere ne minor quidem scholastica grammatica (nam maior mira prorsus laborat partium confusione

ac disiectione) ita erat digesta, ut Broederi inscitiae praeferenda esse videretur. Wenckianam grammaticam cum emendaret Grotefendius negabat, quamvis veteribus et usu traditis, quantum fieri posset, maxime parceret, ita se potuisse restituere, ut non universam prope converteret. Sed tantum tamen haec etiam antequam a Grotefendio mutata est peritioribus videbatur praestare, ut in gymnasio Werderano, rei scholasticae tunc in urbe nostra duce, in Broederi locum substitueretur, expulsaque pigra illa et ineleganti consuetudine, qua vertendis exemplis Latinis lingua disci consueverat, aliqua vere grammatica disciplina expeti inciperet.

Hanc igitur, quam paucis significavimus, cum Zumptius inveniret grammaticam Latinae linguae institutionem, pro eo quo ardebat et scholae studio et litterarum amore, facere non poterat quin iis, quae in sua ipsius educatione expertus esset, mederi statueret. Quorum haec duo erant maxima, primum quod formae atque elementa linguae, in quibus discendis pueri nulla arte adiuvarentur, alterum quod syntaxis praecepta, quae fortuito nulla ratione aut ordine traderentur, parum tenebantur. Itaque cum tertiae classis discipuli Latina grammatica ei imbuendi traditi essent, coepit primum secum ipse de praecipuis regulis ex ordine digerendis meditari, deinde cum pueros in formis haerere animadverteret quaerere, numquod memoriae subsidium reperiretur. Atque hoc quidem invenit in vetere grammatica Marchica, in qua praecepta de generibus substantivorum et similia quaedam versibus comprehendebantur, inconditis illis quidem (neque enim in hoc genere elegantia expetita est), sed aptis tamen ad usum ac quodammodo propter ipsam rusticitatem iucundis; illud ipse scribebat, paucis quid vellet complectens, conficiebat etiam indices verborum et deponentium quae vocantur et reliquorum ab vulgari ratione recedentium. Haec dictare solebat et ediscenda proponere discipulis, quos ita cum et adiuvari videret et tamen peccare saepissime, dum dictata male excipiunt, in usum scholarum suarum paucas schedas composuit, quas mense Maio anni 1814.

typis describendas curavit. *) Tantula igitur initia fuerunt grammaticae illius, ex qua maxima pars iuventutis altiora studia appetentis non modo apud nostram gentem, sed etiam apud exteros populos inde ab triginta prope annis formata atque instituta est, hoc caput, ex quo laus illius per omnes, quae litteris nostris operam dant, nationes fluxit. In quo libro haud difficile est ipsa illa, ex quibus deinde grammatica nata est, invenire principia. Uno perpetuo tenore praecepta syntaxis explicantur, eo quidem ordine, qui a Zumptio servatus est ad extremum, ut primum de subiecto et praedicato, deinde de casibus, de accusativo, dativo, genitivo, ablativo, denique de temporibus et modis verbi disputetur. Praecepta ipsa brevissima sunt, quae fere discipulorum memoria contineri possint, sed longe tamen a Broederiana ieiunitate aliena; qua necessitudine inter se coniuncta sint, non explicatur illud quidem, sed, si quis accuratius quaerat, non potest non intelligi. Exemplorum illa infinita copia, quae olim propter praeceptorum exilitatem necessaria fuerat, iam recte inutilis videbatur, et eo erat redacta, ut uno vel altero exemplo praeceptum illustraretur, quo exemplo memoriae puerorum mandato fiebat, ut iuxta ipsam praeceptorum seriem altera teneretur exemplorum, quae, quicquid in illa obscurum esset, facile admoneret. Denique illud etiam cautum erat diligenter, ne quid praeciperetur, nisi quod ad optimos quosque scriptores, imprimis ad Ciceronem, pertineret. Appendicis autem loco his praeceptis adiuncti erant primum veteres illi, quos explosae grammaticae habuerant, de generibus vocabulorum versus memoriales, ad ingenium saeculi paululum expoliti, deinde indices verborum et deponentium et a vulgari regula discedentium, quibus ediscendis efficere volebat, ut cum longius processissent discipuli turpibus soloecismis liberati intentius ad syntactica praecepta incumberent. Hic libellus intra septuaginta sex paginarum

*) Titulus libelli hic est: Regeln der Lateinischen Syntax mit zwei Anhängen. Von C. G. Zumpt. Berlin bei I. E. Hitzig. 1814. VIII et 76.

spatium tantam optimarum rerum copiam coartans quantopere illa aetate placere debuerit, manifestum est; sed placuit iis, in quorum usum scriptus erat; neque enim ultra id gymnasium, cuius magister erat Zumptius, propagatum esse arbitror. Neque id mirum est. Quamquam enim abundabat recta et salubri scientia, carebat tamen ea doctrina et studio, quae, quo magis tunc litterae per scholarum magistros propagabantur, eo magis requiri coeperunt. Iis additis summam continuo laudem grammaticam tulit Zumptius.

Nimirum quae intermiserat paululum cum subito a discendo ad docendum traductus esset studia, ut muneris scholastici aliquam familiaritatem contraxit, magna alacritate resumebat. Habitabat totus in litteris Graecis, multa de iis eum video illo tempore esse commentatum, multa temptasse; cogitabat adeo aliquando, a librario luculenta mercede amicorumque adhortatione impulsus, Schneideri lexicon emendatum et locupletatum edere vel novum potius Graecitatis lexicon condere, cuius operis fundamenta iecerat amplissima. Sed postquam ea studia cum scholis Latinis fidei suae commissis minus conciliari intellexit, ea cura abiecta, quam praesertim a Fr. Passovio, quo familiarissime utebatur, receptam esse videret, totus ad Latinitatem et ad grammaticam Latinam incubuit. Quam quidem non amplius tenuem et puerorum tirociniis sufficientem, sed eam scribere aggressus est, qua et gymnasiorum discipuli per totum cursum scholasticum formarentur, et quotquot Latinis litteris operam darent, studiorum duce uterentur. Neque ignorabat per omnes grammaticae Latinae partes posse plurima aut luculentius illustrari aut rectius demonstrari aut acutius observari. Quare cum assidue scriptores Latinos cognosceret, omnia studia eo dirigebat, ut, quomodo perfecta grammatica Latina constitueretur, laboraret, quaeque nova invenerat, ea suo quidque loco in eum, quem parabat, librum inserebat. Ita postquam quadriennium, nulla re interpellatus, nisi libro ad scholarum suarum usum adaptato, sed item ad Latinas litteras pertinente, de quo postea dicetur, accuratissimis studiis consumpsit, anno 1818. ineunte edidit grammaticam

Latinam. In ea praecipua diligentia exposuerat doctrinam de formis linguae, ante minus a se tractatam; complectitur enim ea plus quam dimidiam libri partem. Sic ipse in praefatione admodum modeste scripta significat quidque imprimis secutus sit exponit. In syntaxi vetera sua praecepta ubique auxerat, ratione cuiusque regulae addita amplificaverat, denique in ipsis praeceptis hoc adiecerat, quod specie parvum esse videatur, sed re magnum est, ut non genera modo substantivorum et adiectivorum et verborum, quae cum hoc vel illo casu vel coniunctione vel constructione coirent, sed ipsa vocabula nominaret. Ubique autem diligentissime, quod principio sibi proposuerat, tenuit, ut scriptorum modo optimorum, non aut poëtarum aut deterioris Latinitatis usum sequeretur. Doctrina quidem per totum librum magis subest quam apparet. Quantis enim erroribus plurima liberanda fuerint, quot res aliter constituendae, facile qui priores grammaticas conferet intelliget. Quo in genere saepe mirati sumus, quam brevis esset hominum memoria vel potius quantopere sua cuique maxime placerent. Etenim cum Zumptianis studiis excitati existerent multi, qui multa in grammatica Latina invenirent, clamabant fere de sua laude, Zumptium quod hoc vel illud minus perspexisset graviter incusantes. Quasi vero aut possint omnia ab uno inveniri aut, si fieri id posset, esset optabile. Nam mehercule grammatica Latina si aut esset eiusmodi, ut posset exhauriri, aut esset aliquando exhausta et undique veris ac certis regulis comprehensa, perisset omnis ea, quae in discenda ea ponitur, opera ipsaque grammatica ulla esse desineret. Ac nescio adeo, an eam ipsam ob rem grammatica Zumptiana hominibus scholasticis grata fuerit, quod sine ulla doctrinae specie prodiit, in quam si insuetae, quales tunc erant, talium rerum subito mentes incidissent, factum esset ut ipso aspectu deterrerentur. Sic paulatim non modo rectiorem docendi viam ingredi, verum etiam maiorem doctrinam capere didicerunt. Postquam autem primum hoc periculum cum magna hominum doctorum approbatione excipi vidit Zumptius, ingenti incensus est ardore eorum, quae certa ratione iecerat, fundamentorum

ex studiis, quae urgebat, amplificandorum ac confirmandorum. Itaque altera editio, quae anno 1820. ineunte emissa est, ubique aucta et emendata est, qua in re eximie adiutus est Conr. Schneideri, olim magistri, tunc familiarissimi amici studiis. Qui cum formas Latinae linguae ex grammaticis veteribus et ex scriptoribus critice examinatis exponere atque illustrare statuisset, id opus condidit, quo ne nunc quidem suo in genere ullum est praestantius. Atque utinam quae praeclare inchoaverat ad finem perducere illi licuisset! Ipse quidem, qua erat omni laudis vanitate liberrimus, cum maturum sibi vitae exitum imminere sentiret, saepius cum Zumptio agebat vel precibus vel adhortatione, ut is in provinciam suam succederet coeptumque opus perageret. Cui si minus hic paruit, quam ipse cuperet, causa est et in ea re, quod admodum difficile est factu, ut intra alienos fines, quos egredi non liceat, coërceri velis, et in negotiosa vita, quae nullas alias occupationes ei imponi pateretur. Quamquam explevit, quod amicus optaverat, sed sua ratione. Nam in altera grammaticae editione iam altius eum spectare et in ipsa penetralia Latinitatis ingredi manifestum est. Constitit ille quidem intra classicam, quae dicitur, Latinitatem, quam quia scholae et usui, non doctrinae scribebat, nunquam reliquendam esse putavit, sed illius ingenium accuratissime perscrutari coepit. Testantur id cum alia, quae per totum librum passim emendata sunt, tum praecepta de coniunctionibus, in qua parte plurima tunc vel falsa vel dubia tradebantur, tum notae regulis syntacticis adiectae, quibus quicquid apud scriptores optimos eosque, qui maxime ab adolescentibus legi solent, ab vulgari et certo usu recedit, persequitur, ipsis scriptorum locis citatis longioreque nonnunquam disputatione inita. Quod cum item probari vidisset propagarique librum per scholas accepisset, simul iubentibus multis, cum tertia editio, quae anno 1823. prodiit, paranda esset, aliud addere statuit. Superioribus enim temporibus cum exiles essent grammaticae ac longe remotae ab accurata doctrina, ut tamen discerent pueri Latine, commendabantur libri peculiares de difficilioribus Latinitatis locis in usum virorum docto-

rum scripti, veluti de particulis, veluti de arte Latine scribendi, nec fere quisquam erat qui victis initiis carere his posse videretur. Tunc ii non amplius placebant: partim enim prae rerum veritate discendi ratio ac forma neglecta erat, partim qua utebantur ratione, non conveniebat cum nova Zumptiana, denique inutile videbatur pluribus libris uti discipulos. Ita motus est Zumptius ut, quicquid ad Latinitatis scientiam adolescentulis et utilem et necessariam pertineabat, quamvis minus eius quae proprie dicenda est grammaticae esset, complecteretur. Ex quo genere cum pauca alia erant, ut metrica, quae nemo quantum scio utiliter adiecta esse negavit, tum syntaxis ornata. De hac quia vehementer his temporibus a quibusdam vituperata est, paulo plura disputanda sunt, ut et Zumptii quale consilium fuerit explicetur et ipse ab iniustissima reprehensione liberetur. Atque illud quidem apparet syntaxim ornatam non esse habitam ab eo pro parte grammaticae Latinae necessaria, quod si existimaret, in primam editionem inseruisset, non monitus a multis, ipse invitus prope ac nolens librum tantopere augeri, tertiae demum adiunxisset. Sed valuit externa illa causa, quam significavi, quod unum librum postulari videret, quo tota institutio Latina gymnasiorum regeretur. Quae ratio tam iusta est, ut ei nec ipse deesse debuerit nec reliqui defuerint, ne ipse quidem ille, qui maxime in nomen syntaxis ornatae invehi solebat. Quo ille nomine cum abstinere utique statuisset, rem ipsam retulit, cum suae grammaticae appendices adiunxit, quibus, quasi iam nomine mutato grammaticaque absoluta liceret prorsus libere vagari, quaedam de his, quaedam de illis disputavit. Alterum est quod in eadem syntaxi ornata nullum necessarium ordinem servatum esse queruntur, fortuito singula connecti, non unum ex altero deduci et explicari. Quam ego rem magna mehercule reprehensione dignam esse existimarem, si aliter constitui posse intelligerem. Veruntamen cum omnis syntaxis ornata non in necessaria linguae lege, sed in usu ac consuetudine versetur, quis eam secundum necessitatem aliquam exponi posse putabit? Ac consimilis est ratio paucorum aliorum capitum,

quibus de coniunctionibus et praepositionibus et adverbiis praecipitur, quae qui ex grammatica removebunt, suo iure defendere poterunt, ea lexicis esse tribuenda, sed utilitatem publicam violabunt. Cui si ita obsequi possis, ut rationem ex ceteris partibus non demas, quis consulere nolit? Itaque in quarta editione anni 1824. aliud caput adiectum est, quo de substantivorum et verborum origine ac formatione disputatur, quod caput, qui severa illa lege agent, non minus totum eiiciendum esse debent statuere. Sed ille, qui scholarum se commodis prospicere, non nescio quam ab omni usu liberam notionem sequi meminisset, adiecit idque effecit, ut ii, qui Latinitatem, quatenus ea scriptores usi sunt, quomodo inter se connexa sit, cognoscere cupiant, magnopere se adiuvari sentiant. Ultra enim progredientem ipsas vocabulorum radices persequi, quo pacto formatae, unde deductae essent, exquirere, denique alias linguas et veteres et hodiernas comparare, quae disciplina a magnis viris magna eruditione excitata merito nunc multorum studia cepit, ipse duabus maxime de causis noluit. Primum enim cum scriptores Latini ipsi, quia in vitae usum et dicebatur et scribebatur, talium rerum omnino incuriosi fuerint, praeclara sint illa ad ingenia hominum doctorum alenda, utilissima etiam ad populorum affinitates ac cognationes cognoscendas, sed, quamvis bene perceperis, nihil conferant ad librum Latinum intelligendum aut ad eam rem, ut ipse recte Latine dicas. In ea re consuetudinem populi optimorumque auctorum usum sequi oportet, multis fortuitis casibus paulatim ab origine declinatum. Quare adolescentuli, qui uti debent lingua Latina, ab talibus rebus arcendi sunt. Deinde, ut fatear quod sentio, etsi plurima doctissime in eo genere disputata esse video, pauca tamen ita sunt examinata, ut certa videri possint; at quod fere fieri consuevit in recenti disciplina, coniecturarum et opinionum vel temeritatem vel libidinem non facile usquam reperias maiorem copiam. Ea de causa cum abstinuerit hoc doctrinae genere Zumptius olim ardentibus cum maxime illis studiis, nunc postquam paulum refrixerunt

et ad iustum modum redacta sunt, recte plurimis videtur egisse.

Intra hos autem quos diximus fines cum constiterit postea grammatica, incredibile tamen est, quanto studio, quanta constantia in ea emendanda atque augenda elaborarit. Testes sunt quae deinceps prodierunt editiones, quinta anno 1826., sexta anno 1828., septima anno 1834., octava anno 1837., nona anno 1844., in quibus vix ulla invenitur pagina, in qua non vel verborum aliqua emendatio versata sit, vel vetus observatio rectius exposita vel nova aliqua addita; testis etiam retenti usque ad extremum studii editio decima, quae anno superiore ineunte prodiit, cuius cum primae schedae typis descriptae essent, auctor ipse morte oppressus est. Tantam emendandi opportunitatem praebuerunt et ipsius studia assidue in optima Latinitate versantia et aliorum virorum doctorum vel grammaticae vel quaestiones singulares vel accurate in scriptorum commentariis factae observationes. Quibus ille ita utebatur, ut parcens, quantum fieri posset, maxime veteribus, quae usu probata nisi certissimis contra positis mutare nolebat, nihil quod usquam prodiret, non examinatum, nihil inexpertum relinqueret. Quo in negotio satis molesto saepe mirari solebam quomodo versari consuesset. Vix enim quicquam offerebatur, quod non ille suis adaptando aut restringendo vel amplificando in rectius mutaret, ut, quae aliena accepisset, ea tamquam sua dimitteret. Haec Zumptii ars grammatica, quam ne qui inimici quidem vel potius aemuli erant summam esse negabant, advertit etiam apud exteros populos omnium, qui Latinis litteris operam dant, animos, ut grammaticam in suas linguas conversam propagarent. Primum Anglice vertit anno 1823. Ioannes Kenrickius, Eboracensis, vir doctus et apud suos multiplici laude insignis, qui cum diu in Germania commorans diligenter studia nostra cognosset, popularibus suis eorundem copiam facere statuerat. Eius interpretationis quattuor extiterunt repetitiones, quae cum recentioribus studiis neglectis ad priores Germanici exempli editiones fierent, quia iusto plura videbantur omitti, ipso Zum-

ptio non auctore, sed duce altera ad nonam editionem Germanicam suscepta est nuper anno 1845. interpretatio a Leonh. Schmitzio, olim Bonnensi, nunc Edinburgensi, viro et universae philologiae et Anglice peritissimo. Ad eandem rationem Galli et Batavi et Poloni et Russi, cum totam apud se disciplinam scholasticam nostrae imitatione emendare aggressi essent, Zumptianam grammaticam, auctore non consulto, saepe ne appellato quidem, expresserunt, quae singillatim persequi historiae litterarum, non vitae Zumptianae est. Omnino autem quantum haec grammatica ad Latinitatem nostrae aetatis excitandam et conservandam valuerit, memorabile est. Neque enim, si libere iudicare velis, negari potest, quin hodie, etsi et pauciores scribunt Latine iique ipsi pauciora, ab iis tamen, qui scribant, scribi possit longe melius quam vulgo prioribus aetatibus. Ipsa illa, quae summa Latinitatis inter recentiores populos exempla extiterunt, multis locis nunc ex praeceptis, quae diligenti scriptorum veterum observatione inventa sunt, emendentur. Quare si homines quae disciplina scholastica perceperunt conservare, usu augere, colore denique illo vere Latino confirmare vellent, nae ego nostros homines veteribus illis Latinitatis artificibus parum cessuros esse censeo. Maximum vero studii sui praemium tulit Zumptius, cum in quintae editionis praefatione sibi sic accidere confessus est, ut desideraretur in grammatica sua certus a principio usque ad exitum pertinens ordo ac ratio. Adeo igitur tempora mutata erant, ut qua virtute olim grammatica maxime excellere putabatur, ea ipsa iam aliis inferior videretur. Quamquam ii, qui hoc reprehendunt, si ipsi iubeantur emendare, quantopere, si prudenter agere velint, dubitent, quam multa, quae olim erroris plenissima esse censuerint, rectissime se habere intelligant, vel, si temere mutarint, quantas poenas dent! Sed duas tamen paulatim existere video grammaticorum quasi partes, qui Latinas litteras aliter in scholis tractari cupiant. Unum est hominum honestissimorum, sed ab omnibus litteris paulo alieniorum. Qui cum in schola habitent puerorumque magis externa quadam disciplina quam vera eruditione delectentur, nocere

censent in grammatica, quicquid memoria percipi ac teneri nequeat; nullum illi volunt librum esse ducem adolescentium, quo ipsi vel sine magistri auxilio utantur, quo, si altiora concupiscant, erudiantur, quo denique, si quid aliqua re moniti observarint, referant vel scriptorum locos vel suas ipsi notulas. Quibus si obtemperaretur, cito fieret ut detrusis ad veterem illam, a qua Zumptius profectus est, tenuitatem grammaticis ipsa etiam Latinitatis scientia periret. Qui quatenus recte statuunt, eatenus consuluit Zumptius. Cum enim aegre ferret librum suum, aliquando modesta specie commendatum, invito se, sed aetatis ingenio sic postulante augeri, ut puerorum prima linguae elementa discentium ratio haberetur, epitomen instituit amplioris grammaticae, quae epitome primum prodiit anno 1824, tum grammaticam ipsam insequens anno 1825 et 1830, tum anno 1836, 1840, 1845 repetita est. Ea uberius tractat priorem grammaticae partem de elementis linguae, quia ea in iis classibus, quibus libellus destinatus est, proprie disci solent, syntaxis praecipua modo praecepta, sed liberata notarum mole in exceptionibus et elegantiis versantium complectitur. Universa ratio, si pauca quaedam de declinationibus et coniugationibus, quae pluribus exemplis illustrantur, excipias, eadem est quae in maiore grammatica, ne duobus diversis libris cognoscendis difficilius discipuli ab uno ad alterum transeant. Quamquam hoc ipsum fuerunt qui vituperarent; malebant diversos esse libros, dummodo puerorum institutioni ita ut vellent provideretur. Quod qui queruntur, vereor ne iniquius eam legem huic grammaticae imponant, quam si teneret, non multis scholis multisque magistris posset esse utilis. Nimirum illa quam desiderant puerulorum institutioni accommodata ratio sive scholastica methodus, quia ab lingua eiusque natura seiungitur, non iam ipsius rei, sed magistrorum est propria, quorum alii placere aliud nec mirum esse debet nec vituperari. Tu ubi primam declinationem explicasti, docendam proponis unam vel alteram coniugationem, tum ad reliquas pergis declinationes, tu numeralia quaedam et pronomina adiungis alteri coniugationi, tu coniunctim tradis quattuor coniugationum for-

mas activas, coniunctim passivas, tu tam religiose cursum tuum sequeris, ut nefas esse putes quicquam unquam occurrere, quod non ante perspectum penitus et memoria perceptum sit. At ego primum liberius paulo ago, sumo aliquando, quod quale sit postea explicetur, neque aegre fero declinationes discentibus aliquando offerri verbi formam, deinde declinationes ego coniungo, coniugationes item deinceps, ut poni solent in grammatica, persequor. Haec quis diiudicet? quis praescribat? Nam sua cuique maxime probatur via nec fere est ulla, modo ne contraria sit rei naturae, quae non ab idoneo magistro muniri possit. Quare illam methodum liber non paucis, sed pluribus scriptus totam relinquet magistris; ipse per summa quasi capita progrediens quid, non quomodo utendum sit, praecipiet. Veruntamen redeo ad illos, qui quasi memoria explenda, non ingenium excolendum sit, quam modo ab quibusdam in minore grammatica postulari rationem diximus, eandem proponi velint maiori. Quorum voluntas si vicerit (ac metus sane nonnunquam subit ne vincat), scholastica Latinitatis eruditio perierit. Alterum quod significavimus genus est hominum longe ingeniosorum, qui cum faveant litteris, iudicio utilitatis falluntur. Volunt hi omnia ratione demonstrari et tamquam systema aliquod philosophi explicandum sit, sic mathematicorum more ab uno et certo principio omnia deduci. Iidem causas omnium rerum addi cupiunt, nihil praecipi cuius non origo explicetur; iidem fere ex incunabulis linguam repeti. Ex eo genere sunt qui non quattuor, quas veteres grammatici, sed unam omnino statuunt esse coniugationem, qui similiter temptant declinationes, in syntaxi vero multa subtiliora excogitant quam veriora. Qui hercule si paululum procedant, eo deveniant ut non Latine, non Graece, non Gallice, non Germanice tradatur in scholis, sed una universa aliqua lingua, quae nusquam ulla est, sed ex qua omnes deductae sint. Quorum ratio quam incerta sit, vel inde colligas, quod vehementer ipsi inter se dissentiunt. Verum etiam ii, qui ab libidine temperantes similia tamen sibi proponunt, videant ne bonam illi quidem grammaticam conficiant, scientiam Latinitatis ad usum aptae per-

dant. Nimirum hoc est quod quosdam peritiores iam nunc querentes audias, grammaticas emendari et augeri incredibiliter, Latine scribendi et intelligendi facultatem minui, ut in hac re idem accidere putent, quod in reliqua vita, cum summum ius summa iniuria existimatur. Veteres Romani ipsi cum optime scribebant, certa sane praecepta sequebantur, sed artificiosam grammaticam nec poterant habere nec volebant. Nos qui ratione aegre percipimus, quae illi facile discebant, si probabilem aliquam viam et percipiendi et usu exercendi invenerimus, tempus, quod in ipsam Latinitatem impendi praestat, in formas quasi, quibus disci possit, externas originesque linguae ab usu nimis abhorrentes ne temere consumamus. Quo in genere Zumptium, qui mediam quandam viam magna cum arte tenuerit, optime versatum esse reperio. Nam antea cum propter confusionem rerum nulla discipulis pensa proponi possent, effecit ut possent optime; cum ita Latine traderetur, ut grammatica quae proprie dicitur eruditio in scholis esset nulla nec posset esse, ab inani illa et externa linguae Germanicae et Latinae comparatione rem eo deduxit, ut et cogitandi formae, quatenus in linguae excultae praeceptis expressae sunt, intelligerentur nec usus atque exercitatio dicendi impediretur. Quamquam non negarim equidem posse ipsam hanc Zumptianam rationem emendari et ésse emendandam, quod si negarem, stultissimus sane essem praedicator; sed illud volebam cavere, ne iniqua vituperatione peccaretur. Atque etiam illud commemorabo, quod ad ipsam praeceptionem pertinet, in qua qui recta alioquin ratione utuntur, paulo tamen inconsideratius videntur versari. Sunt enim quidam, qui, dum laudabili studio subtilissima verborum et dicendi generum et constructionum discrimina rimantur, eo tandem deducuntur, ut regulam nullam possint statuere, quae non exceptionibus obruatur vel dissolvatur. Ita in duo maxima incidunt incommoda, primum ut nihil certum offerant discenti, quod sequatur, deinde ut ipsa hac re timidum eum reddant ad audendum. Quare quia legentem vel scribentem in quovis vocabulo haerere iubent et deliberatione uti, etsi scientia quaedam Latinitatis augetur, perit tamen

necessario facilitas naturalisque ille rivus eloquentiae impeditur, qui quamvis sit nonnunquam minus purus, solus tamen efficit ut Latinus color ducatur.

Neque vero Zumptius hac modo, de qua diximus, grammatica scribenda Latinitati recte discendae consuluit, verum medium intercessit aliud opus, scientiae scholasticae et recti iudicii plenissimum, quo exercitationes Latine scribendi in schola regerentur. Vix enim primum illum libellum de praeceptis syntaxis Latinae absolverat, cum item ex suo usu natum edidit alterum, quo Latine discentibus pensa proposuit, quibus Latine vertendis usum eum linguae compararent, quo solo olim omnem Latinam institutionem confectam esse viderat. *) Qua in re qua arte usus sit, memorabile est. Cum enim Latine scribendi facultatem in gymnasiis exercendam esse consentiant viri docti longe plurimi cum alias multas ab causas, quas hic referre longum est et inutile, tum quod sic facillime ipsius linguae accurata scientia paratur tantumque abest ut ea re oneris quidquam discipulis imponatur, ut nihil sit quod eos cum delectatione non mediocri magis adiuvet: veruntamen cum Latine scribendi consuetudo retinenda sit, qua id ratione aptissime fiat? Sunt hodie viri quidam et doctissimi et optimae voluntatis, qui illo, quod supra significatum est, linguarum inter se conferendarum studio ducti ab ea, qua quisque utatur, lingua patria proficiscendum esse existiment. Eius quae propria sunt postquam inquisiverunt, quomodo ea Latine dicenda sint, examinant ingentemque acutissimarum observationum numerum congerunt. Tum ex sua quisque lingua non quae Latinis similia sunt, eligunt, quae interpretari iubeant discipulos, sed dissimillima, in quibus non modo totus color diversus sit ab Latino, sed etiam earum rerum vocabula inveniantur, quas veteres quia ignorarunt, ne appellarunt quidem. Sic ingenium exerceri apparet, nec, si nihil aliud esset pro-

*) Liber sic inscribitur: Aufgaben zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische aus den besten neuern Lateinischen Schriftstellern gezogen von C. G. Zumpt. Berlin 1816, bey Ferdinand Dümmler.

positum, quidquam videretur posse reperiri utilius. Sed ullam Latinitatis facultatem sic parari aut omnino scholis aptam esse eam exercitationem prorsus nego. Primum enim quod illi proponunt, est difficilius quam quod vel mediocriter in scholis possit praestari. Ne ipsos quidem qui Latine sunt doctissimi, satis recte in tanto negotio versaturos esse puto. Etenim cum per omnes aetates paucissimos modo fuisse videam, qui de rebus a Romana consuetudine non abhorrentibus Latine ita dicerent, ut aliquam veterum scriptorum similitudinem servasse viderentur, qualia existimamus puerulos Latine discentes de rebus alienissimis? Tum in omni, opinor, lingua discenda hoc expetitur, ut facile ea et ad dicendum et ad scribendum utare: haec autem facilitas illa ratione perit tota. Quomodo enim facile scribat, qui linguarum diversitates rimari solitus in singulis prope vocabulis cogitare debeat, quo pacto quod Germanice mente conceptum sit Latine reddat? Ut hodiernam aliquam a sua patria, quia tempore aequalis est, minus discrepantem linguam nemo recte ac facile ad dicendum vel ad scribendum adhibeat, nisi qui usu ac consuetudine ita perceperit, ut, cum ea uti velit, non per interiectam aliam in medio linguam, sed nativo quasi flumine dicat, sic Latinae orationis facilitatem, nisi omni alia ratione deposita Latine quae velis mente concipere, Latine cogitare assueveris, non assequare. Eodemque pertinet, quod ad scholasticam quidem institutionem neque libros *συνωνυμά* Latinae linguae vocabula subtiliter explicantes neque eos, qui antibarbari appellari solent, satis utiles esse iudicabat Zumptius. Illis anxietas quaedam scribentis gignitur, qui non verendum est ut paulatim contracta aliqua Latinitatis familiaritate, non admonitus aliunde, quid cuiusque vocabuli proprium sit, sentire ac sequi discat. Hi non magis probandi quam illa puerorum educatio, quae ut deterreat a vitiis, vitia exponit. Ne enim dicam, quod et vetus et verum est proverbium, deteriora facilius haerere, nonne idem tempus, quod malis cognoscendis consumitur, rectius longe apparet impendi in bona discenda? Itaque qui Latine dicere volet, Latina cogitet, Latina legat, cum Latinitate tam-

quam consuetudinem habeat, et quidem legat optimum quemque scriptorem, a malis prohibeatur, quos, si bonis assueverit, magis ipso sensu aversabitur quam si malorum quoque perito non novum atque insolitum accidet quicquid contra Latinitatem erit. Haec cum ita sint, etsi non dubium est quin Ciceronem potissimum legere atque imitari debeamus et ita quemque maxime, ut quisque Ciceroni est simillimus, cautio tamen quaedam Zumptio erat adhibenda, ne iis, qui in Latinitate profecerunt, idem conducere arbitraretur quod adolescentulis, qui simul atque ipsas formas atque elementa memoria recte perceperunt, ad scribendum accedere iubentur. Nimirum propter temporum ac vitae diversitatem tantum interest inter veteres illos scriptores et inter nos spatii, ut superare id ne doctissimi quidem viri, non pueri modo possint. Quare quoniam reperiendum erat, quo aditus facilior ad veteres scriptores ipsos muniretur, occurrebat interiecta inter nos et inter veteres illos magna bonorum scriptorum multitudo, qui cum nostra aetate viverent nostrisque moribus uterentur, et ingenii facilitate et studii constantia assecuti sunt, ut ad veterum scriptorum orationem tantum quantum omnino nos quidem licet accederent. Quorum princeps longe fuit Antonius Muretus, cuius lectione plurimi veterem Latinitatem sibi patefactam esse confessi sunt, non pauci deinceps, ex quorum libris iucundissima et utilissima Germanice conversa exhibuit Zumptius, quae Latine reddenda discipulis proponerentur. Itaque plurima excerpta sunt ex Mureti epistolis et orationibus et variis lectionibus, longe reliquis et elegantia et suavitate praestantia, quaedam ex Angeli Politiani, Petri Bembi, Christ. Longolii aliorumque eiusdem aetatis orationis Latinae magistrorum libris, tum ex Ioan. Aug. Ernestii, insigni orationis Latinae ubertate praediti, tum ex Batavorum illorum, quorum opera litterae nostrae saeculo proximo superiore praeclare adiutae sunt, imprimis ex Dav. Ruhnkenii scriptis. Viventium quidem scriptorum neminem in hunc quasi canonem recipere voluit, quare ex Dan. Wyttenbachii scriptis demum in editione altera, quae post annum **1820**, quo mortuus est, prodiit, quaedam leguntur. Uni Fr. Aug.

Wolfio, quem summum dicendi artificem esse eaque re omnibus aequalibus multum antecedere intelligeret, viventi tribuit, ut eius scripta adolescentibus imitanda exhiberentur. Hos igitur scriptores cum optima Latinitate excellere iudicasset, animadvertendum est, quanta diligentia caverit, ne quid adolescentibus offerretur, quod non idem rerum utilitate praestaret. Quare cum multa reiecit elegantissime ab iis quos nominavimus scripta, tum quosdam Latinitatis optimae auctores, qui prae orationis studio rerum veritatem atque utilitatem neglexissent, prope totos repudiavit, veluti Facciolatum et Manutium, atque in quinta editione confitetur Sigonii luculentam belli Numantini narrationem, quam prius receperat, ideo esse a se omissam, quia tristissima fortissimae civitatis calamitas indigna esset quae adolescentium animis proponeretur. Quo in genere quam alia ratione usos esse videmus eos viros doctos, qui cum post illum similes libros scribere cuperent, ipsa nonnunquam inopia adducti sunt, ut inania et inutilia proferrent! Haec autem exempla cum elegisset Zumptius, vertit Germanice, non ad eorum quos supra dixi rationem, qui linguarum diversitates exquirendas esse putant, sed ita, ut quae communia in utraque essent sequens verba eligeret Latinitati non dissimilia eademque nostrae orationi tolerabilia, quare effecit, ut, qui sua accurate prope verbum de verbo convertisset, optima Latinitate imbueretur. Deinde notas subiecit breves, doctas, elegantes, quibus etiam si quid minus Latine apud eum, quem interpretabatur, scriptum erat tacite correxit, ut macula ab inquirente et Latinum auctorem comparante detegi posset. Neque paucae eae sunt maculae. Illi enim etsi universum colorem Latinum in potestate sua habebant, in multis tamen rebus grammaticis obscurioribus peccare solebant, quarum usum nostrae demum aetatis studia demonstrarunt. Duo sunt quae addere placeat, non quod magna sint, sed quia ex uno ars, ex altero ingenium Zumptii cognosci potest. Primum enim appendicis loco breves recentiorum Latinitatis auctorum vitas adiecit, admodum iucunde scriptas, quibus hoc assequitur, ut adolescentuli prope imprudentes et virorum clarorum res co-

gnoscant et amorem quendam eorum studiorum imbibant, quibus cum parta sit ea qua nunc utimur humanitas, tum omnis omnino tuenda ac conservanda est. Alterum est, quod pro animi sui simplicitate et candore celare noluit, unde quidque sumpsisset, sed singulis pensis et auctores et auctorum libros et librorum locos praemisit. Quamquam huius veritatis poenam solvit, cum Lipsiensis aliquis homo facilem quaestum, non aut litterarum decus aut honestatem sequens piratarum more ipsa ea pensa, quae Zumptius Germanice exhibuerat, Latine edidit, quo libro discipulorum laborem fugientium fraudem adiuvaret. Atque ille quidem praedo adeo instabat, ut ter edita Latina versione mutationes Zumptiani libri, quas sui eludendi causa factas esse sentiebat, insequeretur: nec tamen sustulit eius utilitatem, quem Zumptius cum primum anno **1816.** emisisset, anno **1822.** et **1825.** et **1829.**, denique post longum intervallum anno **1844.** repetivit aequique iudices et ab hoc omnem eam consuetudinem Latinae orationis exercendae ortam esse confitebuntur, et ab ipso peculiaribus quibusdam virtutibus reliquos superari intelligent.

Hi libri ex Zumptii scholis Latinis nati sunt: ex eiusdem scholis historicis prodierunt annales veterum regnorum et populorum, imprimis Romanorum, editi anno **1819**, repetiti anno **1838.** Eorum consilium historiae tradendae apparet; sed iuvat tamen etiam commemorare, quomodo cum Latinitate coniuncti fuerint. Etenim cum discipulis primum grammaticam ex certa serie atque ordine tradidisset, deinde eosdem assidue vertendis iis quae scripserat pensis colore quodam Latino imbuisset, hoc reliqui fieri videbat, ut usum aliquem Latine et dicendi et scribendi consequi deberent, quo addito institutionem scholasticam absolutam esse putabat. Iam scribendi usus a magistro, qui pluribus praesit, non potest praeberi is qui sufficiat; loquendi qui est et facillimus et iucundissimus, in Latinorum scriptorum lectione propter eas quas supra diximus causas spernebatur; Graecorum scriptorum tum quidem non fiebat copia. Quid igitur faceret? An voce disputare iuberet adolescentes de locis quibusdam communibus? Potest id fieri et

nescio an fecerit; sed verebatur, opinor, ne hae disputationes aut nimis difficiles essent, aut inani loquacitate continerentur, nisi pro materia quasi, in qua versarentur, subiectam haberent historiam veterem. Haec enim Latine et potest rectissime tradi et apud eos, qui satis valent, debet tradi, siquidem auctores eius aut Romani fuerunt, aut, qui erant Graeci, quoniam illis affinitate et morum et dicendi coniuncti sunt, Latine redduntur facillime. Quare impetravit Zumptius, ut historia vetus in gymnasii classe prima et secunda (nam eae in his scholis coniunctae habebantur) Latine narranda sibi permitteretur, unde adolescentes quia idoneo magistro praeeunte perpetuo Latinitatis usu exercebantur, non modo formas et praecepta, quae memoria ante didicerant, in sucum quasi et sanguinem vertebant, verum etiam eum sensum imbibebant, qui elegantiam dicendi quaerere iuberet, ab omni barbarie prohiberet. Ipsum enim, qui et naturae quodam beneficio ad Latinitatem recte percipiendam factus esse videretur et studiis grammaticis maximam operam dedisset, cum recens ab Livii uberrima narratione ad adolescentes prodiret, quanto usum esse putamus ardore, quanta copia, quanta facundia? ut prorsus ab hoc tempore coeperit et in dicendo et in scribendo tantum valere Latinitate, quantum vix unus aut alter nostra aetate valuit. Neque vero ad discipulos modo, quibus voce historiam veterem exponeret, verum ad omnes, qui veteris historiae cum accurata temporum notatione cupidi sunt, studiorum suorum utilitatem pertinere voluit. Retulit igitur id genus librorum, quod satis frequens fuerat apud maiores nostros, ut quasi tabulam quandam efficeret brevitate et accuratione insignem, eandemque ab elegantia non abhorrentem, in qua viri docti quae memorabilia viderentur suo quidque loco annotarent. Atque in Romana quidem historia prorsus hoc egit, ut singulos annos cum consulibus notaret, quare si quos in priore editione omiserat, in altera addidit. In Graeca autem fundamentum illud chronicorum iacere noluit, cum eam ab causam, quod Atheniensium archontes ἐπώνυμοι minus late patent quam consules Romani, tum quod qui eorum seriem aut obscuram saepe

aut incertam desiderant, facile ad alios libros doctrina abundantes confugere solent. Similique de causa videtur accidisse, ut Romanam historiam, quatenus ex lectione auctorum optimorum ipsa cognosci potest, brevius et summis modo capitibus significatis narraverit, extremam aut idonea scriptorum illustratione carentem aut ex multis atque obscuris fontibus petendam copiosius exposuerit. Unum est, quod a nonnullis vituperatum esse inveniam, qui vel consilium chronicorum scribendorum parum tenebant, vel quod omnem doctrinae speciem abesse moleste ferrent, illud reprehendebant, quod auctorum loci, unde quidque petitum esset, non indicarentur. Atque erat id utile in iis rebus, quae ex variis vel remotioribus fontibus collectae sunt; nam si cuius temporis unus vel plures sunt auctores continui, eorum locos citare nihil sane attinet. Sed etiam illud sprevit Zumptius plerumque, constantia opinor aliqua adductus et quod speciem et onus fugiebat. Nam ipsam doctrinam eum non fugisse qui annalibus utetur cito intelliget, quos ubi etiam in parvis ac difficilibus rebus certos duces esse cognoverit, consilii, non inopiae illam brevitatem esse intelliget. Quamquam adolescentibus scriptorum imperitioribus Zumptius consuluit, quorum causa brevem de auctoribus historiae veteris institutionem praemisit, iucundissime scriptam et saluberrimae doctrinae plenissimam.

Scholastici fuerunt, de quibus hactenus exposuimus, Zumptii libri, qui quamquam aliquantum etiam ad litteras ipsas vel augendas vel ornandas valuerunt, imprimis tamen ad discentium commoda spectabant. Quos quis putabit aut a quoquam posse recte scribi aut a Zumptio, singularis diligentiae homine, esse scriptos, ut non alerentur quasi perpetuo et veterum scriptorum et antiquitatis studio? Etenim grammaticae Latinae qui operam dat, quomodo non redeat ad fontes illos, ex quibus omnis linguae cognitio petenda est, quos qui minus assidue legunt, plurimi documento sunt in quantos errores incidere soleant? Historia autem Romana potest illa quidem etiam neglectis veteribus auctoribus exponi, sed nec potest Latine nec omnino ita, ut exposita est in annalibus. Itaque

ille tametsi diu nullos maiores studii sui fructus protulit, dudum in quibus elaboraret sibi elegerat Ciceronis orationes Verrinas et Q. Curtii Rufi libros de gestis Alexandri: accessit postea amicorum causa receptus Quintilianus. Ex horum trium praestantissimorum scriptorum tractatione, si verum quaeris, nati etiam libri scholastici: his illi exculti, his aucti. Quamquam editionum ipsarum una modo Curtii intra illud tempus est absoluta, quo in schola Zumptius versabatur, reliquae, postquam schola mutaverat academiam. Nos quidem coniunctim de iis disputabimus, postquam pauca antea de muneribus Zumptii scholasticis eiusque in academiam transitu dixerimus.

In gymnasio enim Werderano eum cursus scholastici principia auspicatum esse supra exposuimus. Perstitit in eo usque ad annum 1821. idque semper in magna felicitatis parte ponebat, quod ea sibi ab initio scena contigisset, in qua et optime exerceretur et nomen suum illustraret. In qua cum hominum spem non expleret, sed superaret, celeriter factum est ut tria illa assequeretur omnibus bonis magistris exoptatissima, primum ut in summas classes translatus ea praeiret discipulis, unde ad ipsius scientiam ac doctrinam aliquid utilitatis redundaret, deinde ut magna discipulorum et ingenuorum et litterarum amore inflammatorum copia uteretur, denique ut operae mercede ornaretur, quae si non sufficeret usui aut magna omnino videri posset, tamen et eorum qui gymnasio civitatique praeerant optimam voluntatem proderet et spem faceret fore ut, si res ita ferret, etiam augeretur. Accedebat discipulorum quasi privatorum magna multitudo, ex gentibus clarissimis amplissimisque civitatis nostrae oriundorum, qui cum in scholam Werderanam illo tempore confluere solerent, si quid in scientia sua deficeret, a Zumptio, quem prae ceteris diligerent et eruditione excellere viderent, privatae disciplinae adiumenta petebant. Inter hos primo loco nominandi principes serenissimi de Radzivill, clarissima gente oriundi eaque indole praediti, ex qua iam tunc quanti aliquando publice privatimque futuri essent augurarere. Qui quanto cum litterarum tum magistri eas tradentis amore incensi fuerint testatur Zumptius

in dedicatione Curtii ann. 1826. editi, quem fratribus augustissimis inscripsit; quanta autem ipse fuerit amoris constantia, documento est extremis prope vitae diebus inter tristissimam corporis debilitatem iisdem fratribus inscripta altera Curtiani operis maior editio, quam si licuisset, item iusta dedicatione exornare voluerat. Ex reliquis privatae disciplinae alumnis nominabo Michaëlem Beerium, praestantissimi ingenii virum, qui cum iuvenis prope immatura morte obierit, tamen gentis suae nomen a Meyero fratre per omnes populos cultu atque humanitate praeditos musica arte celebratum poëtica quoque laude in patria sua illustravit. Inter eum et inter Zumptium quantum ex disciplinae illius consuetudine ortum intercesserit litterarum commercium, duae res testantur. Beerius enim cum suarum rerum causa Parisios profectus esset, ut magistri studia in Ciceronis accusatione Verrina tunc versantia adiuvaret, simul ut ipse in hoc genere quid posset temptaret, codices aliquot contulit collationesque, quas Zumptius in prooemio editionis suae pag. XXX accuratissime factas esse ait, Berolinum asportavit. Zumptius autem, cum ille primam tragoediam Clytemnaestram edidisset, de ea in ephemeridibus Ienensibus retulit sic iudicans, ut et indolem iuvenis ornatissimi praedicaret nec quod in fabula minus placeret tacendum esse putaret. Neque silentio praetereundus est Ioannes Kenrickius Anglus, magnae elegantiae ac doctrinae vir, qui inter populares suos cum aliis libris, tum Herodoti editione meritissimam laudem tulit. Is cum nostrarum litterarum cognoscendarum causa Berolinum venisset, operam dedit imprimis Zumptio eiusque Latinitatis scientiam admiratus ut in patriam rediit grammaticam eius Anglice vertit multisque epistolis ultro citroque missis, quid apud se gereretur, exponebat, ipse, quid hic in litteris accideret, accipiebat. Taceo de multis, velut de alio adolescente nobilissimo, qui etsi ad aliena longe studia se conferre statuerat, ita tamen Zumptio duce in litteris Latinis profecit, ut hic plurimis eius observationibus uteretur in annotatione, quam adiecit vitae Reiskianae a Sam. Fr. Nath. Moro scriptae, quam Frid. Traug. Friedemannus inter vitas hominum quocunque

litterarum genere eruditissimorum Brunsvigae ann. 1825. repetivit. Sed properandum est, ne, si diutius in his studiis scholasticis immoratus sim, reliquis, non minus magnis ac memorabilibus, nihil spatii relinquatur. Hoc tamen apparet, non poenituisse Zumptium loci, quem in gymnasio Werderano tueretur. Itaque frustra saepe alio invitatus est, veluti paulo postquam iniit, Brombergam, tum Lipsiam ad scholam illustrem Thomanam; ipsum etiam gymnasium Ioachimicum, in quo luculenta provincia ostendebatur, sprevit, ne ab ea, cui praeerat, summarum classium institutione detruderetur. Veruntamen, ubi Bernhardius, rector gymnasii, mense Ianuario anni 1820. ad gymnasium Friderico-Guilelmum avocatus ac paulo post mense Iunio ineunte mortuus est, subito omnia mutata sunt. Fuerat ille talis, qualem supra significavimus, qui cum haberet quae merito a multis improbarentur, ingenio tamen, quod eximium in eo esse omnes consentiebant, capiebat cum alios tum Zumptium, qui praesertim ab illo se evectum et praeclare adiutum esse recordaretur. Ei suffectus est homo, ut lenissime dicam, oneri suscepto impar, qui cum propter singularem quandam *ἀβλεψίαν* et *μετεωρίαν* vix antea magistri locum recte tueri potuisset, nescio qua arte post longum tempus magnasque multorum dubitationes ab iis qui rei scholasticae praeerant impetravit, ut celeberrimo gymnasio praeficeretur. Cuius exitus fuit is, ut perdita schola fugatisque non discipulis modo, verum magistris etiam bonis prope omnibus, cum cognitus sero esset, a magisterio honesta specie removeretur, initium autem hoc, ut Zumptius, impatiens talis hominis, omni ratione sibi discedendum esse statueret.

Eius rei occasio oblata est tristissimo Conr. Schneideri casu, viri non modo doctissimi, quem ipsi Zumptio olim ad litteras discendas utilissimum fuisse ducem supra exposuimus, verum etiam candidissimi et integerrimi, qui quos litterarum studiosos esse cognosset, eximie diligeret. Quare quoniam Zumptium summo prorsus amore amplectebatur, cum sibi mortem instare intelligeret, saepe cum hoc egerat, ne grammaticam suam Latinam destitueret, ne a studiis descisceret, denique,

si ullo modo fieri posset, ut ad gymnasium Ioachimicum, certe in suum aliquando locum traduci vellet. Id noluerat ille antea, tunc fatigatus incredibili confusione, quae in gymnasium Werderanum irrumpebat, non potuit non ultro summa alacritate appetere, omnique ratione agere, ut tantae non iam laudis, sed inscitiae ac negligentiae scenam relinqueret. Ac spes fiebat ipso illo tempore ab summo rei scholasticae praefecto, fore ut in academiam Vratislaviensem traduceretur. Agitarat enim iam antea talia consilia Zumptius, cupiens in ipsarum litterarum sedem et ad adolescentes, non iam ad pueros admitti, adhortabanturque et amici et patroni, qui eruditionem eius altissimaque spectantem animum nossent: tunc accidit ut Fr. Passovius, professor Vratislaviensis, cui quanta cum Zumptio intercesserit familiaritas a nobis significatum est, communi academiarum nostrarum labe infectus nescio quos offenderet molestissimisque negotiis implicaretur; leges adeo violasse videbatur poenaque ex crimine iniuriarum coërcendus esse. Nec satis erat puniri eum sex hebdomadum libera custodia; nam et qui rebus academicis praeerant eum ab loco, quo peccasset, alio traducendum esse putabant neque ipse pertaesus et urbem et molestias sibi exhibitas noluit academiam bibliotheca Halensi, quae proponebatur, mutare. Sic igitur constituitur, Zumptius autem sufficitur in provinciam Vratislaviensem transactoque negotio res regi proponitur, qui quae reliquis placuissent iussu suo sanciret. At rex benignissimus ac clementissimus satis severitatis adhibitum esse ratus locum eum suum tueri iussit remittique quae ultra proposita erant. Sic depulsus hac spe Zumptius (atque iterum de eadem provincia Vratislaviensi deiectus est undecim annis post, cum mortuo Passovio suffici cupiens ideo non impetravit, ne Berolinum tanto Latinarum litterarum lumine privaretur), attamen hac spe destitutus cupientibus omnibus adeptus est, ut in Schneideri locum substitueretur eique mense Octobri rite succederet: simul spes ostendebatur non obscura de academiae Berolinensis professura.

Ioachimica autem omnis haec commoratio Zumptii, quae

quinque omnino annorum fuit, paulo mihi videtur fuisse vel tristior vel infelicior, siquidem felicitas non externis quibusdam commodis, quorum magna sane suppetebat copia, sed iucunditate vitae, sed otio, quod philologo necessarium est, sed eventu denique censenda est. Florebat ille quidem magna laude et doctrinae et disciplinae. Nam grammatica aucta et emendata per illud tempus eam virorum doctorum comprobationem meruit, quam tenuit postea, pensa Latinitatis repetita, epitome grammaticae instituta est. Tum ipse gymnasii quasi ornamentum videbatur esse ac columen. Celebre id tum erat magis multitudine quam modestia aut industria discipulorum, sed constabat ipsi disciplina optime, cum alii varie iactati aegre magistrorum auctoritatem sustinerent. Quare regnabat fere, ut, quod plerumque fieri diximus, adolescentuli cum in omnes litteras antiquas, tum in Latinas incumberent: negligebantur reliquae scholae, ut Zumptianis opera daretur, hic, quid quisque ageret, quid sequeretur, cuique praescribebat. Quid poterat requirere amplius? Praefecti rerum scholasticarum dudum magna eius admiratione capti quodcunque postulabat, concedere consueverant, eamque apud omnes tulit laudem et sic per hominum ora ferebatur, ut etiam multis annis post, cum dudum academiae ascriptus alio discessisset, ab Ioachimico potissimum gymnasio appellaretur. Cepit etiam anno 1824. ineunte eum eruditionis fructum, quem adolescens ab universitate properans ad scholam sibi parare prohibitus erat, ut ab academia Bonnensi honoris causa philosophiae doctor crearetur. Sed haec tanta bona aequabantur prope quibusdam satis magnis malis. Primum enim ipse valetudine minus commoda utebatur, quam cum ex nimio labore studiisque assiduis fatigasset, non prius constituit, quam aestate habitationem urbanam praediolo suburbano commutare corpusque scribendo ac docendo defessum aëris salubritate recreare coepit. Tum ipso illo tempore calamitates quasdam domesticas perpessus est, imprimis morte duarum filiarum, quas infantes extinctas doluit acerbissime. Denique munera paulatim ita augebantur, ut oneri essent. Non dico quod classes quibus

praeerat ingentes erant, quod etsi est molestissimum propter corrigendi laborem, qui multitudine discipulorum magistro religioso ac diligenti imponitur, hoc tamen habet delectationis, ut excitetur animus numero audientium, qui ubi pauci sunt, quoniam facile et reguntur et erudiuntur, cum ipsa commoditate aliquam afferre solent inertiam. Tum in magno numero quia multos esse oportet ingeniosos adolescentes et industrios, hi non commilitones modo reliquos vel nolentes solent secum trahere, verum ipsum magistrum nonnunquam impellunt. Sed praeter has scholasticas occupationes ei, qui suis praeterea studiis vacare et velit et debeat, prope nimias erat inter Vviros examinandis et probandis munerum scholasticorum candidatis, qua cura qui recte fungetur, optime ille quidem de litteris se mereri intelliget quantumque proficiatur quasi intuens magnam etiam delectationem capiat, veruntamen otii necessario magnam partem perdat. Tum adiunctus est Vviris regendis studiis militaribus, quod munus et consuetudine et quod fere solum relinquebatur, postea coepit esse gratissimum, illo tempore multum operae afferebat. Tum luculento stipendio invitatus receperat historiam veterem in academia militari tradendam, quae iucunda sane, sed laboriosa erat provincia. Gravissimum autem onus accesserat bibliothecae Ioachimicae, quae cum et magna esset et utilissimorum librorum plenissima, iacuerat antea situ obtecta, ab Zumptio in iustum ordinem digesta, accurato catalogo ornata, denique in eum statum redacta est, ut uti ea liceret. Quae tot negotia quantam anxietatem animo eius religioso susceptorumque munerum observantissimo, eidem studiorum litterarumque cupidissimo afferre debuerint, apparet. Ipse quidem in commentariis cum solutum se esse scribit uno ex iis muneribus, gratulatur sibi magnopere negatque ullum a se unquam debuisse recipi officium, quod non cum litteris coniunctum esset. Atque inde accidit ut studia ipsa minus placerent aegreque ferret nihil eorum quae dudum pararet absolvi atque edi. Etsi enim ex longo tempore trium praestantissimorum scriptorum, Curtii, Ciceronis, Quintiliani editiones instituerat, tarde tamen, dum modo huc

modo illuc avocatur aut domesticis negotiis distinetur, procedebat. Intelligebat etiam ad eam se aetatem pervenire, qua utique reliquae vitae certa ac constans ratio ineunda esset cupideque aliquam mutationem prospectabat. Ea evenit aliter ac putarat.

Anno 1825. exeunte qui praeerat gymnasio Ioachimico, vir morum probitate atque integritate insignis, Snethlagius, senectute iam tardior neque onera muneris amplius ferens petiit, ut in otium se recipere sibi liceret. Ea res Zumptium vehementer movit, qui nec quantum in re scholastica laborasset, ignoraret et ea etiam spe ad hoc gymnasium transisset, quod in eo rectoratus spem sibi patefieri existimaret. Nec scio quemquam fuisse aut reliquorum hominum aut eorum, qui res scholasticas regebant, quin tanto eum munere dignissimum esse censeret eoque duce scholam putaret rectissime posse constitui; sed intercesserunt cum aliae res extra ipsius potestatem sitae, quas referre inutile est, tum honesta illa species, quae praetexebatur, novo aliquo opus esse rectore, qui aliunde arcesseretur. Quare cum excidisset Zumptius ea spe, quam non ipse inani vanitate conceperat, sed alii, tamquam res esset certa atque explorata, multis modis aluerant, omnem rem scholasticam in odio habere coepit, quodque antea saepe cupiverat, ut in academiam transiret, id iam sic efficere, ut et alios multos homines offenderet et suis ipse rebus damni aliquid afferret. Magistratus enim, qui iniuriam ei factam esse intelligerent, simul veriti, ne iratus discederet, certatim auctius stipendium aliaque offerebant, ne id gymnasium, cuius praecipuum ornamentum fuisset, desereret; recipiebant etiam paulatim se reliqua quae vellet esse effecturos. Non movebant haec eum nec saepius deceptus denuo fortunam experiri voluit, negavitque se ullo pacto posse teneri. Qua in re fuerit ille fortasse paulo vehementior, qui fortunae vicissitudines nullas esse perpetiendas arbitraretur, damnabatque postea suam ipse iram; nos quidem, si demissiore esset animo, intelligemus non potuisse ea praestare quae praestitit nec, quae minus prospera primum videbantur, postremo feliciter evenisse dissimulabimus. Nam

ubi discedere statuit, praestantissimi amici fideli opera impetravit, ut professura ordinaria Kiliensis ei offerretur, ex qua, ni fallimur, Car. Frid. Heinrichius Bonnam avocatus discesserat. Tum adeptus erat, quod tamdiu expetiverat, et adeptus erat ita, ut, quantum nominis sui celebritas etiam apud exteros valeret, insigni exemplo experiretur; etenim provincia erat ampla, honorifica, luculenta, in qua et docendo et scribendo illustrari posset, ut plerisque nihil omnino desiderandum esse videretur. Veruntamen cupido alioquin talis mutationis, ubi certum consilium capiendum erat, alia obversari coeperunt, quae animum diu anxium et utrum eligendum esset nescientem tandem eo perpulerunt, ut quibusdam minus constans esse videretur. Natus erat Berolini, ibi maiores eius ex longo tempore consederant patriaeque et bonas et malas res perpessi erant; ipse cum adolescens esset ancipitia Borussorum pericula pertulerat, ex quibus cum tandem emergerent, incredibili laetitia, quantum in eo fuerat, votis ac rebus omnibus prosecutus erat. Haec ille iam relinqueret? Discederet ille non modo ex urbe patria, in qua eum propinquorum, affinium, amicorum magna multitudo eximia cum caritate amplecteretur (nam et antea Vratislaviam discedere paratus fuerat et fuit postea), sed ex republica ipsa abiret, quam eo qui intelligi magis quam exponi posset, sed flagrantissimo amore diligeret? Assuesceret non hominibus aliis (nam id semper ei fuit iucundissimum), verum legibus et institutis aliis? Rideant fortasse nonnulli qui haec legant academicumque professorem, qui ex litteris, non ex legibus pendeat, illud omnino sequi velint, quod nescio quis primus invenit, qui patriam ibi esse dixit, ubi bene esset. Alia longe fuerat Davidis Ruhnkenii causa, qui item genere Borussus ad Batavos migraverat eaque sede ita delectabatur, ut quemquam eo venire nolle demiraretur, alia Wyttenbachii, alia multorum aliorum, qui apud exteros vivere constituerunt. Scio equidem Holsatos non esse nobis tam exteros, quam illis summis philologis fuerant Batavi, uti eos simili ingenio, similibus legibus, eadem denique lingua, deteriorque

erat Ruhnkenii ratio, qui prodito sermone Germanico necessario in Latino habitavit. Sed est tamen illud etiam vinculum magnum, quod ex malis bonisque toleratis communiter nascitur nec nostro tempore viros doctos quisquam amplius putabit adeo seiunctos esse a reliquis civibus, ut nullum in iis patriae sensum esse censeat. Haec igitur et talia movebant Zumptium, quae cum repeto mente et qualis ipse per totam vitam fuerit, considero, prorsus similia videtur sensisse ac Socrates, cum amici ei fugae consilium darent, cui ille sine dubitatione vel iniustissimam mortem praeferendam esse arbitrabatur. Inter has ancipites deliberationis curas aliunde ei munus offertur, quod dubitantem impulit ut mora abiecta externisque omnibus spretis in patria remanere statueret. Nimirum ubi percrebruit avocari Zumptium, cum alii quidam tacite querebantur talem virum sibi suisque rebus eripi perituramque apud se significabant bonam litterarum Latinarum partem tanto lumine orbatam, tum nescio quis ex Vviris illis regendis studiis militaribus, legatus ut opinor regius, qui Zumptii praestantiam, quia collega eius erat, re iam, non solum fama perspexisset. Itaque, ut forte cum eo congressus est, negat rem posse ferri, expostulat omnino, quod de relinquenda patria cogitaret, denique rationes demonstranti necessitatemque suam excusanti professuram academiae militaris ostendit brevique perficit ut rite ei deferretur. Sic liberatus cura Zumptius et in patria et Berolini remansit.

Obtinebat iam professuram historicam in academia militari, antea a nescio quo administratam, ab illo summa cum omnium laude illustratam. Atque ipsa academia est omnino praeclara, condita, nisi fallor, ab eo, qui regnum nostrum stabilivit, Friderico Magno, qui cum exercitum suum, ut virtute praestabat reliquis, sic scientia superiorem esse vellet, seminarium hoc humanitatis, ut ita dicam, militaris instituit. In quo nunc subcenturiones selecti postquam aliquamdiu stipendiis factis rem bellicam cognoverunt, ad discendum iubentur redire, solvuntur muneribus, augentur stipendio, adiuvantur omnibus

rebus ad studia necessariis, traduntur denique magistris, qui cuiusque artis optimi luculenta mercede proposita inveniri possunt. Inter hos auditores recte versari non est facile. Non dico quae externa sunt, quod maturioris fere aetatis sunt, quam ii, qui academicis scholis operam dant, quod elegantioris fere vitae nobilisque generis, denique quod eum vitae gradum tenent, quo cuivis aequentur. Haec aliis incommoda sint, qui studio docendi efferuntur nec sibi ubique temperare consueverunt; Zumptium quidem invenio, id quod summum est, duo haec coniunxisse, ut et unus de ipsorum numero esse videretur et eum gravitatis auctoritatisque locum tueretur, quem nisi teneas, fieri vix possit ut ea quae tradas auditorum animis satis imprimas. Veruntamen haec leviora, illud magnum, quod militares illi homines cum academicorum civium studiis nihil cedant (multi enim sunt in exercitu nostro, qui historiae operam dent librosque adeo de ea exquisitae doctrinae plenos ediderint), eo superant, quod rei bellicae periti sunt, qua magna historiae pars continetur. Quare magistrum de his temere disputantem cito contemnant. Sunt iidem reipublicae gerendae, cuius iam partem sustinent, longe peritiores nec facile capiuntur speciosis quibusdam, sed a veritate et natura alienis opinionibus, in quas qui librorum scientia nutriti a rebus gerendis abstinent, nimis saepe incidunt. Atque antiquam quidem historiam pridem ita perdidicerat Zumptius, ut eam vix ulla adhibita propria opera quibusvis tradere posset; aluerat eiusdem scientiam perpetua auctorum lectione, ipsas denique illas scholas per paucos annos administraverat, ut haec pars novi muneris assueta prorsus esset neque ullum laborem desideraret. At recentior historia, quamvis non esset incognita ne haec quidem, magnam initio imposuit curam, quam citius opinione vicit. Vix enim veteribus muneribus solutus erat, cum omni studio ad eam tractandam incubuit, qua in re usurpavit eam rationem, quam omnino in scholis meditandis sequebatur. Scribere enim solebat, quidquid erat dicturus, non capita modo praecipuasque cuiusque generis res, sed omnem orationis perpetuitatem litteris persequens, spernebatque, non

quod natura deficeret, sed quia sic officii sui esse iudicabat, eorum morem, qui eloquentia freti subitaque dicendi facultate laborem scribendi fugiunt, quos ille existimabat posse illos quidem in nonnullis litteris tradendis versari optime imprimisque idoneos esse ad animos audientium oblectatione quadam capiendos, sed in antiquis litteris minus probandos esse intelligebat eosdemque in scientia sua breviter ac succincte explicanda fere vacillare. Extant igitur lectiones eius historicae ingentibus voluminibus comprehensae, incredibilis laboris opera, quae cum legerem, illo tempore hoc prorsus eum egisse videbam, ut relictis litteris antiquis ad historiam totus transiret. Adeo ubique auctores recentioris historiae, etiam qui a vulgari cognitione remoti sunt, persequitur, critice quae traduntur examinat, comparando inter se et ad communes leges revocando illustrat. Ac prope abest ut taedio quodam philologiae eum captum esse suspicer, cuius studiosissime tractatae fructu quia deceptum se esse arbitrabatur, aliarum litterarum fortunam experiri satius interdum ducebat. Movebatur etiam illa, quae saepe commemoranda est, religiositate, ne quod munus suscepisset, eo non dignissimus omnibus esse videretur, neve studia privata cum eo, quod publico officio iniungebatur, discordarent. Itaque plurimum tunc cogitabat de opere aliquo historico condendo elegeratque locum aliquem recentioris aetatis, quo illustrando omnes boni historici virtutes in sese esse ostenderet. Id consilium aegre ac multo post aliis negotiis occupatus reliquit, sed ita retinuit animo, ut quidquid de recentioris aetatis rebus et apud nos et apud exteros gestis scribebatur, cognosceret, ipsa etiam, quae suo tempore agerentur, non eorum more, qui facilem in coetibus ac circulis loquendi materiem quaerunt, sed causas cuiusque rei notans omniumque progressus et quasi antecessiones explorans per diurna acta et ephemerides magna cum cura persequeretur. Earum rerum plenissimi sunt eius commentarii, ex quibus eum perspicio, cum utroque genere excellere posset, otii inopia consulto historicis libris scribendis abstinuisse. Nec vero, ut scribendas esse putabat scholas historicas, ita de scripto recitan-

das existimabat. Scriptione enim utendum est tamquam adiumento aliquo memoriae, quam si tam firmam haberemus, ut ei omnem scholarum seriem committeremus, tantaque coniunctam cum constantia, ut, quamvis subitae eloquentiae confidi posse videremus, tamen diligentem meditationem non aspernaremur, rectissime scribendo abstineremus. Itaque sic prorsus narrabat historiam, quasi loqueretur, nec scripsisse eum meditandi causa quicquam auditores suspicabantur. Stabat fere circumdatus audientium frequentia, dextra manu in sinum vestis inserta capiteque leniter, ut moris ei erat, inclinato; flumine orationis nulla mora impedito libere ac diserte loquebatur. Assiduitatis autem illius in scribendis iis, quae meditabatur, hunc cepit fructum, quod res gestas earumque et tempora et seriem ita impressit paulatim memoriae, ut vix quemquam in hoc genere praestantiorem fuisse putem, neminem certe cognoverim. Cuius virtutis admirabile edidit documentum extremis vitae annis, cum oculorum lumine prope orbatus nihil intermisso scholarum labore, quamvis eum meditationis cura adiuvari valetudo minus pateretur, quaternas de historia scholas habebat, nam in universitate locum aliquem veteris historiae explicabat, in academia militari item veterem, tum recentiorem historiam narrabat, ita distinens has scholas animo ac separatim singulas persequens, ut auditores nulla re de infirmitate eius admonerentur. His studiis quantam caritatem apud auditores adeptus sit, quid narrem? Fuit ea non minor quam illa, quam olim apud adolescentulos gymnasii excitarat, cepitque eius plurima testimonia, cum vel consulebant de suis rebus ac studiis, vel rogabant, hunc illumve historiae locum uberius persequeretur, vel quid de quaque re iudicaret quaerebant. Per totum exercitum nostrum qui academia illa militari eruditi sunt, gratissima memoria Zumptianarum scholarum recordationem retinent ac diu retinebunt. Ipse etiam vicissim postea cum saepius amici de levando nimio scholarum onere adhortarentur rationemque et quietis et valetudinis habendam esse dicerent, hoc, quo per plus quam viginti annos assuesset,

munere solvi noluit; adeo liberalem illam ac vere ingenuam et auditorum et disciplinae rationem adamarat.

Veruntamen mihi quidem semper hoc maxime dignum est visum quod quaererem, quid historica haec studia ad Zumptii studia antiquitatis conformanda contulissent. Multi enim fuerunt philologi non contemnendi iidemque historici praeclari, quo utroque in genere nuper longe eminuit Niebuhrius, antea apud Batavos imprimis Iac. Perizonius, vir singularis acuminis, recentioris non minus quam veteris aetatis peritus, complures apud Italos, qui quam animi elegantiam atque humanitatem antiquitatis studiis comparassent, eam ad sui temporis historiam scribendam adhibuerunt. Erant igitur illustria exempla, quae sequeretur Zumptius, maximeque Niebuhrius quantum nostrarum rerum accurata atque usu etiam percepta scientia ad antiquitatem cognoscendam valeret, luculento documento demonstrarat. Usque ad illud tempus in grammaticis fere studiis habitaverat Zumptius, a quibus qui quicquam in philologia praestare vult, proficisci omnino debet. Nam cum auctores veteris historiae Graece aut Latine scripserint, has linguas qui minus tenet, quoniam firmo quasi fundamento regulaque, ad quam omnem scientiam dirigat, caret, in multos necessario errores deducatur. Studium igitur grammaticum ut est bonum et utile et necessarium et id denique, a quo exeundum sit, ita nescio quid habet vel ieiuni vel inchoati, quod aliunde supplendum sit; etenim grammatica est quasi pro nervis et ossibus, quibus nisi tamquam caro et sanguis aliunde petita scientia adiiciatur, iustum corpus non efficiatur referaturque illa quorundam veterum deterioris aetatis scriptorum exilitas, qui verborum elegantiae unice dediti, etsi suae aetati placuerunt, a nobis merito vituperantur. Quare ut perfectus quasi philologus constituatur cum accedere oporteat vel historiae vel philosophiae aliquam partem, Zumptius professurae historicae occasione ad historiam deductus est, quam ubi universam vel recentiorem scribendo illustrare prohibitus est, ad veterem persequendam incubuit. Nam ut primum in universitate docere

coepit, veterem historiam vel universam enarrare solebat vel eius partem aliquam, maxime Romanam, omninoque cum in academia celeberrima Berolinensi peculiarem quendam locum occupare difficile esset, philologiae cum historia coniungendae provinciam tuendam elegit. Eaque maxime de causa, ut contemplatione ipsarum regionum, in quibus res gestae sunt, et incenderetur animus et aleretur cognitio, itinera in Italiam et Graeciam, de quibus infra dicemus, suscepit ac multa studia instituit, quorum publica testimonia extant nulla. Quamquam ut haec quoque adderet, historiae Romanae scribendae consilium cepit, nec cepit modo, verum exequi instituit, eoque, cum necessaria quaedam opera dudum promissa vix absolvisset, ita incensus est, ut cum redemptore librario rem transigeret propediemque se confecturum polliceretur. Fines operis sic descripserat, ut duobus voluminibus res populi Romani liberi complecti statueret, ne aut nimia longitudine legentes deterreret aut scholis modo atque imperitis consuleret. Ac doleo sane hoc non esse perfectum; aegre enim et cum magna nostra molestia tali aliquo opere caremus, quod res ipsas breviter atque eleganter complectatur, quaestionum, quas plurimas sane ac difficillimas suscipiendas esse Zumptius non ignorabat, summa quasi capita significet magis quam exponat. Quamquam ipse postquam scribere aggressus est, minus sibi placere coepit. Primordiis enim rerum Romanarum, in quibus multi haeserunt, breviter sed dilucide, et ita ut plura eum posse quam velle dicere appareret, narratis, ut ipsas res attigit, dubitatio extitit, utrum eloquentiam Livianam imitaretur an recentiorum virorum doctorum quaerendi et a summa rerum digrediendi rationem sequeretur. Quo in genere cum mediam quasi viam, admodum ingeniose inter utriusque rei fines electam ingressus esset, rursus processit aliquantum, sed, ut in difficiles locos incidebat, doctrinae tamen verique inveniendi cupiditati ita temperare non potuit, ut non ad peculiares quaestiones sibi deverteretur. Sic factum, ut lentius paulatim incederet, ut haereret, ut dubitaret, ut denique totum opus, ne aliqua parte minus absolutum prodiret, in plenioris otii tem-

pus, quod aliquando sibi concessum iri putabat, differret. Iacent igitur haec nunc, tacita Zumptianae et eruditionis et industriae testimonia; neque enim aut inchoata, ut relicta sunt, edentur, aut perfici erit facile; illud eius nomine indignum esse censemus, hoc ut recte administret vix quisquam poterit facere. Ipse quidem si ad absolvendum accessisset, non modo retractasset, opinor, sed toto consilio immutato longius et doctrinae apertae plenius opus, quale postrema eius studia et postulabant et facile patiebantur, condidisset. Hoc autem quod maximum philologiae cum historia coniunctionis, quam sequebatur, documentum extare volebat, cum non liceret absolvere, minoribus tamen quibusdam disputationibus quid esset praestaturus significabat, quo ex genere cum alia sunt, quae infra afferentur, tum illa, quam de hominum frequentia in veteribus populis scripsit, commentatio, quam omni laude dignissimam esse iudicamus.

Sed redeo ad Zumptii professuram historicam, in qua per annum fere ita versatus est, ut scholarum meditandarum causa nihil prope aliud ageret vel, si quid ageret, de historia scribenda cogitaret. Prospectabat nihilominus ad universitatem Berolinensem. Litteras enim antiquas ut remiserat interim temporibus, ita dimittere ex animo quaeque olim magna cum laude ingressus erat, relinquere non poterat: videbat etiam paulatim fore, ut satis sibi otii superesset ad duo munera recte obeunda in ipsaque universitate cum reliquarum vetustatis partium praestantissimi magistri essent, eum, qui antiquitates Romanas et optimorum Latinitatis auctorum interpretationem non muneris modo publici causa, verum tamquam suam peculiarem provinciam privatis etiam studiis tueretur, desiderari. Petiit igitur anno 1827. exeunte et impetravit, ut professor extraordinarius universitati adiungeretur, tum anno 1836. professuram ordinariam litterarum Latinarum in eadem universitate obtinuit in eaque perseveravit. Nam cum antea Franc. Passovio, quem sibi litterisque communibus ereptum vehementissime doluit, in sedem Vratislaviensem suffici cuperet, tum quidem ab rerum academicarum curatoribus retentus est, quia

litteras Latinas in hac urbe praestantissimo doctore privandas esse negarent; postea autem ad eam aetatem pervenerat, qua omnis mutatio paulo molestior est, studiumque eo intendendum, ut, quem locum ceperis, eum expleas, in litteris quae pridem proposueris perficias.

Lectiones, quas Zumptius habuit in academia, ad quas litteras pertinuerint, ex iis quae supra a nobis exposita sunt fere potest intelligi. Erant eae ex duplici genere. Versabantur enim primum in rebus veterum populorum, imprimis Romanorum, explicandis, ex quibus praecipue fuerunt scholae, quas per bienniorum fere intervalla de antiquitatibus Romanis habere consueverat. De quibus eum omnino egregie meruisse iudico plurimumque contulisse ad studia Romana, quae paululum iacere coeperant, denuo incendenda hominibusque commendanda. Ea enim, si vere existimare volumus liberarique inani quadam specie, paulatim a veritate recesserant. Olim, si a C. Sigonio paucisque aliis prope antiquis discedas, peculiaris ea disciplina fuerat nulla: auctores rerum Romanarum legebantur, explicabantur, illustrabantur; his continebatur praecipua philologorum cura, qui cum antiquitatum, quae proprie appellantur, mentionem fieri videbant, eas collatis aliis similibus locis interpretabantur, sed neque haec coniungebant nec de corpore quasi reipublicae Romanae constituendo cogitabant. In privatis autem Romanorum rebus multi laudabili admodum studio elaborabant, quorum disputationes etiam nunc pro fundamento omnis quaestionis esse et debent et solent. Sic etsi multi loci praeclare examinati erant, nulla tamen ea ars erat, nulla disciplina, quae reperta erant, carebant necessitatis vinculo imprimisque id in publicis antiquitatibus sentiebatur. Cui rei cum subvenire vellent viri docti, accidit, quia minus quam olim assidua veterum scriptorum lectione regebantur ideoque, ubi testimonia deerant, sensus etiam ille qui in subsidium succederet deficiebat, ut, dum universae rei conspectum sequuntur, ab singularum partium veritate aberrarent ac philosophorum in suo genere admirabilem rationem male ad rerum veterum explicationem traducerent. Accedebat, quod coniunctum

quodammodo cum hoc vitio erat, ut ea maxime rerum Romanarum tempora tractanda eligerent, quae quia fabulosa sunt remotaque a veterum ipsorum, nedum nostra cognitione, fertilissimam divinandi ac de ingenio quasi, non de rebus ipsis deducendae disciplinae materiem praebebant. Graecas equidem antiquitates hac coniecturarum vanitate longe liberiores esse reperio; at in Romanis nescio quomodo factum est, ut Niebuhrii prava quaedam imitatio multos a vera inveniendi ratione deduceret, cuius acumen et usu partam rerum scientiam et ingenium quotusquisque est qui referat, licentiam quidem coniiciendi veterumque auctorum contemptionem nemo est qui sibi non permittendam esse existimet. Unde qui nati sint virorum doctorum errores, non opus est exemplis demonstrari; adeo id nunc postquam prima illa alacritas defervescere coepit, a plerisque intelligitur. Laeta igitur erant antiquitatum Romanarum studia, si speciem sequerere, sed plura habebant quae tolleres quam quae relinqueres. Ex quo morbo inter philologos princeps fere recreavit hanc disciplinam Zumptius, qui cum in omni re ab inani specie abhorreret assiduamque veri investigationem vel ingeniosissimae divinationi praeferendam esse existimaret, ut antiquitates Romanas tuendas recepit, et quo vitio laboraretur et quid sibi praestandum esset, animadvertit. Studii autem eius testes sunt cum commentationes aliquot, de quibus infra dicendum erit, tum scholae in universitate habitae, recta et sana doctrina refertae, multorumque adolescentium excitata industria, quibus non modo dicendi argumenta proponere, sed adiumenta etiam privatim subministrare quaerendique rationem praecipere solebat. Ac memorabile mihi videtur, quo pacto in ipsa antiquitatum doctrina paulatim processerit; neque enim ea una semper eademque fuit. Quam ubi anno 1828. primum suscepit, cum historia coniunxit, quam rationem in Graecis antiquitatibus complures cum magna laude executi sunt. Incipiebat igitur disputare de origine urbis Romae, tum regum, tum libertatis tempora enarrabat, in Augusto fere consistebat, non certa ulla ratione adductus aut quod imperatores contemnendos esse putaret, sed temporis inopia ex-

clusus, et quae quoque tempore instituta sunt, ea suo quidque loco explicabat. Ita quin respublica illustretur optime, non dubium est nec quisquam in publicis antiquitatibus tradendis historia potest omni abstinere; sed privatarum rerum longe maior pars nullum certum locum inveniet appendicisque quodammodo ratione adiungenda erit: publicarum etiam rerum magna saepe fiet disiunctio, quae conspectum impediat. Neque enim si, quid quoque tempore in senatu Romano mutatum sit, id separatim quoque tempore commemoretur, quisquam discet qualis omnino senatus fuerit, dubitaturque merito an coniunctio temporum minor sit quam rerum. Aliter hoc sit in aliis populis, qui maiore novandi cupiditate praediti modo hoc modo illud sequebantur, cum secundum certam aliquam, quam mente concepissent, rationem rem publicam universam mutarunt; Romanorum quidem cum tanta in hoc genere fuerit religio, ut nihil prope ab imperatoribus institutum sit, cuius non origo apud reges inveniatur, nihil in regno valuerit, cuius non vestigia imperium servarit, res quam tempora sequi videtur esse rectius. Quid enim? Imperatorem Augustum cum constet plurima, quae saluberrime in republica edixit, non de ingenio suo invenisse, sed antiquitus consueta ac paulatim usu abolita, diligenter repetisse, quo haec loco recensebuntur? Eiusque exemplum qui deinde imperarunt, eo magis secuti sunt, quo magis labente re Romana vetera tempora laudari ac desiderari coepta sunt. Hac de causa ne illorum quidem ratio satis placet, qui historia Romana in periodos quasdam divisa, qualis in quaque vita et privata et publica fuerit, persequuntur, qui si teneant propositum suum neque veritate rei victi interdum in rectiorem viam redeant, et repetere multa saepius cogantur, et quae summa cognatione continentur, divellere. Denique utut de hac re iudicabitur, hoc constat, nullam illa ratione artem condi, nullam disciplinam, quique antiquitates in iustae scientiae formam redigere cupiat, ei efficiendum esse ut, quod artis est proprium, ex uno aliquo fonte atque una ratione deductae partes inter se conveniant. Haec et similia Zumptium cogitasse suspicor, cum anno 1836. aliam tradendarum anti-

quitatum Romanarum viam ineundam esse statuit, quam tenuit deinceps. Ea haec erat, ut finibus scholarum suarum descriptis auctoribusque recensitis praemitteret quaedam, sed non multa, de ingenio Romanorum, deinde omnem vitam populi Romani per certas quasdam partes divideret et quid in quaque dicendum esset, a primordiis usque ad extrema imperii tempora aequabili ac constanti ratione persequens primum quid per omnem historiam idem, tum quid quoque tempore mutatum esset, ostenderet. Haec una est ratio et cum natura rei coniuncta et ad docendum apta, qua antiquitatum Romanarum disciplina locum suum tueri possit, quam in libro quidem nondum inveni satis servatam ullo, in scholis num alii sequi consueverint nescio; Zumptium vero in hac ita acquiesse intelligo, ut multa singula mutaret saepe, de universa relinquenda non cogitaret. Hoc autem addo, pro mente sua ad usum vitae apta omniaque inania spernente tantum eum tribuisse antiquae ac fabulosae Romanorum aetati, quantum oporteret, ut posterior respublica cognosceretur, sed abstinuisse ab omni coniecturarum captatione, habitasse igitur imprimis in praeclara illa libertate Romana, in qua et integritas publicae privataeque vitae omnium animos maxime allicere solet, et eximium adiumentum ad optimos scriptores intelligendos positum est. Sic cum certam antiquitatum disciplinam descripsisset, peculiaribus iam scholis historiam narrare coepit, tum universam veterem, tum Romanam, aliquando imperatoris Augusti, bis terve imperatorum Romanorum; addidit etiam saepius Strabonis geographiae libr. V et VI interpretationem, nimirum ut praestantissimo illo duce situm ac populos Italiae illustraret. De his multa nos dicere non est opus, quae scholae quales fuerint, ex iis quae supra disputata sunt intelligitur.

Sed quomodo litterarum Romanarum historiam Zumptius narrare consueverit, longiore disputatione videtur esse dignissimum; nam has quoque scholas philologo vehementer necessarias certis intervallis habebat. Quo loco rursus perspicietur, quantopere se ipsum diligenter emendando profecerit. Memini enim cum litterarum Romanarum decursum illa ratione nar-

raret, quae in plerisque libris consueta est, ut periodis certis descriptis singula litterarum genera cum vitis et libris auctorum explicarentur, easque scholas cum magna delectatione recordamur, non modo quod amplissimus optimorum scriptorum campus aperiebatur a duce peritissimo, quem quamvis temperantem doctrinae properantemque ad eum, quem sibi proposuisset, exitum ex singulis prope verbis et suis studiis parta depromere, et plura, si vellet, afferre posse eluceret, verum etiam, quod multi loci egregie prorsus illustrabantur. Velut admirabamur origines litterarum Romanarum non ingeniosius ab illo quam verius expositas dolebamusque quendam ex auditoribus in libello, quem de initiis poësis Romanorum epicae scripsit, abusum prope esse iure auditoris, cum multa, quae ex scholis illis perceperat, tamquam sua non sine aliqua iactatione proferret. Quem quidem nunc facile ferimus illa, quae alioquin obscura iacerent, litteris consignasse, tulitque ipse Zumptius, communem illum esse existimans magistrorum academicorum casum. Veruntamen etsi placere has scholas intelligebat et necessariam scientiam afferre auditoribus, paulatim tamen sibi ipse minus satisfacere coepit. Nimirum sic videbat, ab litterarum Romanarum historia, id quod ipsum nomen significaret, non hoc postulari, ut vita librique et editiones scriptorum cognoscerentur: utilia haec esse et quodammodo necessaria, sed nec tam opus esse voce tradi quam libris exponi, quia semel audita cito de memoria evolarent, nec ipsam litterarum vim ac naturam in eo esse positam. Eam contineri ingenio scriptorum cognoscendo neque hoc ingenium intelligi aliorum verbis, sed sua lectione; qui aliorum modo iudicia audisset, eum non iudicando ipsum assuefieri, sed inani quadam ali eloquentia. Tum academiarum nostrarum rationem ferre, ut non iis modo consuleretur, qui cum in iisdem studiis habitare statuissent, otium voluntatemque iudiciorum magistri sua cognitione confirmandorum haberent, verum ut etiam reliquorum occupationibus provideretur. Ea de causa pridem consuerat, ut de quoque scriptore disputarat, locum eius aliquem difficilem unum vel plures commilitonibus proponere,

quibus vel explicandis vel emendandis ad ipsius scriptoris aliquam cognitionem adducerentur, magnamque eae quaestiones aemulationem incendebant, cum certatim quid quisque invenisset, offerret. Postea ex singulis scriptoribus longiores quosdam locos eligebat, quos ad cuiusque ingenium et dicendi genus cognoscendum imprimis aptos esse putaret, eosque accurate interpretans, quid cuiusque esset proprium, qua re vel alios superaret vel ipse superaretur, demonstrabat. Veluti cum de Cicerone disputabat, ut eius eloquentia qualis esset, doceret, ex orationibus duos vel tres locos solebat proponere, unum ex iis sumptum, quas adolescens habuit, cum omnes, quae in perfecto oratore requiruntur, virtutes complectens iuvenili tamen quadam vel abundabat vel laborabat ubertate, maxime ex Sex. Roscii defensione, quae et nota est plurimis et illa quae dixi manifesta habet. Deinde ex mediis, quas vocari licet, orationibus similiter caput aliquod exhibebat, plerumque ex Ligariana, quam maxime admirabatur, in qua iuvenilem copiam virili prudentia contractam esse significabat oratoremque suis ipsum temperantem viribus ita dicere, ut gravitatis cum summa ubertate coniunctae specimen exhiberet. Addebat saepe tertium locum, aut ex Verrinis aut ex Philippicis orationibus electum, quarum in illis eam ingenii ubertatem demonstrabat, quam admirans Quintilianus Ciceroni quicquam demi posse negavit, in his nobilissimo exemplo docebat, quid esset quod Cicero Demostheni facetiis atque urbanitate praestare existimaretur. Sic si intueri quasi in tabula explicatas liceat scriptorum virtutes et vitia, quis non facile et percipiat et teneat, quod cuiusque sit ingenium? Etenim si verum est, quod summi quidam viri censuerunt, historiam litterarum in generibus dicendi cognoscendis esse positam, quae externa sunt, de vita et libris et editoribus scriptorum, quae ad usum magis quam ad litterarum vim intelligendam necessaria sunt, non spernemus nos quidem, sed magna laude efferemus Zumptianam historiae litterarum tradendae rationem, quae cum illa subiungi facile patiatur, tum hoc, quod praecipuum est, ut scriptorum ingeniis cognoscendis ipsa scribendi genera perspiciantur, optime

assequatur. Habebat autem haec ratio etiam aliud Latinarum litterarum proprium, quod non videtur silentio esse praetermittendum, praesertim cum a plurimis vel ignorari vel negligi videam. Quoniam enim in vetustissimis Latinitatis auctoribus, quorum perpauca supersunt, idem faciebat Zumptius, ut ex fragmentis maioribus unum vel alterum proponeret, ipsa origo decursusque Latinitatis aperiebatur. Non dico, quod quaeri nunc solet a multis magnaque cum doctrina, unde orta sit Latina lingua, quomodo formata vocabula (hoc enim ille eatenus significabat, quatenus per usitatae Latinae orationis monumenta persequi licet), verum illud, quod Latinitatis ex omnibus linguis maxime est proprium, periodorum ratio quomodo nata, quomodo exculta sit. Eam absolutam admiramur in Cicerone, sed licet etiam quo pacto paulatim extiterit, cognoscere. Veluti C. Gracchum summum fuisse oratorem omnes consentiunt: qualis eius fuerit eloquentia, quotusquisque scit? De quo quae supersunt qui considerabit, ipsa initia vinctae orationis inveniet et quomodo naturale illud dicendi genus necessario in artificiosas periodos coierit, sentiet. Unum commemoravi exemplum et quidem scriptoris, sed licet multorum et scriptorum et poëtarum, quae si quis subtili ingenio idoneaque Latinitatis scientia praeditus examinet, pateat prorsus nulla alia ratione optimorum auctorum virtutes posse cognosci. Magis nota sunt, quae de deterioris Latinitatis vitiis tradi solent, quomodo confusa poëtarum et scriptorum proprietate paulatim argentea quae appellatur Latinitas extiterit, quomodo deinde extincta virtute ad inanem antiquorum imitationem reditum sit, denique collabente imperio barbaries superarit. Sed haec quoque, quae complures animadverterunt, exemplis luculentis demonstrari quam verborum incertis sonis adumbrari utilius erit.

Atque hac quidem quas diximus scholae ad universam rerum Romanarum doctrinam pertinebant: altera Zumptii provincia haec esse debuit ut scriptores Latinos interpretaretur. Quae quam propria quadam difficultate laboraret, non ignorabat. Romani enim haud dubie, ut rebus gestis et institutis superant Graecos, ita litteris vincuntur; quare cum apud eos

non magna scriptorum et oratione et rebus aeque commendandorum copia sit, accedit quod in gymnasiis eorum plurimi satis diligenter tractantur, unde fit ut, qui nostrarum litterarum studiosi ad academiam aggrediuntur, his quasi defuncti sibi esse videantur. Quotus enim quisque est adolescens qui non Tacitum tamquam sua scientia inferiorem spernat? qui non Horatium sese perdidicisse opinetur? A Cicerone vero, cuius ingenium nisi summis studiis deprehendi nequeat, abhorrent adeo eumque, quem vel mediocriter Latine doctus aliqua ratione vertere possit, contemnunt. Quare interpretationis doctrina ac copia, quod ab scriptoribus ipsis repetere non licet, efficiendum est. Ea doctrina cum posita sit vel in rerum vel in verborum explicatione, utramque omnino pro instituto suo coniungendam esse censuit Zumptius. Nam in hac, etsi ipse, ut minus iam esset necessaria, Latinitate per gymnasia propaganda ac confirmanda providerat, multa tamen supererant ad proprietatem sermonis intelligendam totiusque linguae ingenium perspiciendum; imprimis autem ad accuratam illam et in intimos scriptoris quasi sensus penetrantem interpretationem, qua omnis antiquitatis cognitio nititur, animos advertebat. Quamquam paulatim sane magis in rerum explicationem incumbens eos scriptores eligebat, qui huius maxime occasionem praeberent, sed ita tamen, ut in optimis Latinitatis auctoribus, quorum lectio aleret etiam dicendi genus, consisteret. Quare primum praeibat Ciceronis Verrinas, quamdiu iis illustrandis occupatus erat, quas ubi edidit, transiit ad alias orationes, cum Plancianam et Coelianam, tum actiones consulares, quas aliquando edere statuisset. Deinde Ciceronis libros de officiis et de legibus, ut in his studiorum suorum causa versabatur, bis terve interpretatus est. Equidem, si conferendae inter se sunt omnes de scriptoribus Latinis scholae Zumptianae, has Ciceronianas maxime mihi placuisse fateor: adeo Latinitatis subtilissimae ostendendae occasionem praebebant. Incredibile est quantum, qui Latinae linguae peritus est, in hoc genere efficere possit: in vocabuli usu ac potestate demonstranda, in constructionis vi significanda, in ipsa verborum collocatione notanda licet

ab omnibus ineptiis abhorrentem plurimas et maximas res ad Latine discendum utilissimas persequi, quae, etsi possunt etiam in aliis minus bonis scriptoribus commemorari, quia rectius tamen bono exemplo incitamur, quam malo deterremur, in eo potissimum locum suum tuebuntur, qui ab omnibus pro norma Latinitatis habitus est. Accedit quod vix ullius scriptoris Latini ratio critica aut salubrior est aut certioribus regulis astringi potest. Nam in poëtis quidem quaeritur saepe an excusandum sit aliquid; argenteae aetatis scriptores imprimisque Tacitus ab communi elegantia adeo recedunt, ut, etiamsi quid careat exemplis, careat similitudine, careat probabilitate, tamen incertum sit an de industria vitiosius scriptum fuerit. Cicero solus, quia per omnes libros Latinitatis perfectae specimen exhibet, eiusmodi est, ut ipsa Latinitatis scientia, quid scripserit, assequi liceat. Quare qui criticam artem non solam, sed cum Latinitate coniunctam discere volent, iis Ciceronianorum librorum tractatione assidua nihil potest esse utilius. Has Zumptianas scholas cum recordor, contendere maxime soleo cum Ruhnkenii quibusdam dictatis, quae etsi nunc fere in communem virorum doctorum notitiam transierunt, exquisitissimae olim doctrinae plena fuisse omnes consentiunt. Quamquam his scholis haud scio an idem acciderit, quod Ruhnkenianis illis ipsique Ciceroni, ut pauci quantum solidae atque reconditae eruditionis subesset sentirent, plerique res et parvas et inutiles agi arbitrarentur. Itaque immiscere solebat Zumptius aliorum scriptorum interpretationes, aliquando, sed non saepe Quintiliani, cui tum maxime edendo operam dabat, saepius ac certis intervallis constitutis Taciti et Horatii et Persii et Iuvenalis. Ac Taciti quidem annales explicabat, quo libro adolescentium animi mirifice capiuntur, ipse ad aliam rem ac vulgo fit, uti solebat. Non dico de oratione, quae quoniam ingeniis recte a natura formatis veraque ac sincera quaerentibus placere non potest, ita ab illo exponebatur, ut virtutes non dissimularentur, vitia ostenderentur; sed artem eius scriptoris praecipuam in rebus domesticis, non in bellicis narrandis positam esse iudicabat. Nam bella quidem, quorum

esset ignarus, poëtarum prope more scripsit, locorum situs et itinera et copias et pugnas et ducum peritiam, militum fortitudinem luminibus orationis illustrare quam vere et accurate exponere maluit, unde fit ut, qui hodie easdem res explicare cupiunt, maximis difficultatibus implicentur. At domesticarum rerum erat peritissimus, quare in hoc potissimum genere illa eius praestantia, quam admiramur, extitit: imperatorum artes ac libidinem, senatus adulationem ac servitutem, adde etiam leges et iudicia haud quisquam rectius et verius persecutus est. Haec igitur Zumptius ceteris fere praetermissis sequens amplissimam universae reipublicae Romanae illustrandae occasionem inveniebat. Horatii vero sermones elegerat, ingeniosissima summi poëtae carmina, quae multiplicem doctrinam cum elegantia coniunctam requirunt. Ea quanta in illo fuerint, ostendit disputatio de vita Horatii eiusque carminum chronologia, satirarum editioni Heindorfianae anno 1843. repetitae praemissa. Quam cum pararet E. F. Wuestemannus, Gothanus amicus, ab Zumptio facile impetravit, ut haec editioni praestantissimae adiicienda reciperet. Hoc argumentum ipsum est eiusmodi, ut novi quicquam proferre sit difficile: adeo multi et olim de vita poëtae et de carminum eius temporibus per nostram aetatem scripserunt. Quare, nisi in subtiliora quam veriora aberrare vellet, a quo eius natura aberat, relinquebatur ut, quantum certe traderetur, definiret, ut probabilibus coniecturis testium lacunas expleret, denique ut haec pro ratione libelli, quem exornabat, luculente atque eleganter exponeret. Haec eum praestitisse negavit nemo nonnullique sunt loci, quibus exquisita eius eruditio effecisse videatur, ut ex solo exhausto novi prope fructus provenirent. Cum autem semel hoc satiricorum poëtarum genus propter rerum ubertatem orationisque difficultatem placuisset, pro Horatii sermonibus aliquando etiam Persium et Iuvenalem adolescentibus philologiae studiosis explicabat, aut coniunctos, ut ab Iuvenale ad Persium descenderet, aut singularibus utrumque scholis. Quamquam hos ille poëtas, quamvis et boni sint et bonae voluntatis, minus delectabiles esse iudicabat, non tam sua, quam

aetatis qua vixerunt culpa. Quae cum esset mala intereuntisque imperii ac nominis Romani vestigia iam satis expressa haberet, ipsi quidem omni laude digni sunt, quod aequales suos emendare cupiebant, sed legentibus nequaquam laetam offerunt materiem. Ut enim communes hominum errores exagitantem non modo cum utilitate, verum etiam cum voluptate audias, sic vitia ac flagitia insectantem diu ferre nequeas. Adde in Persio ingenium, ut par erat, tristius, in Iuvenale orationem declamandi studio elatiorem. Quibus quantopere praestant Horatii carmina, qui et elegantia omnes poëtas Latinos superat et in rebus risu, non odio dignis versatur!

Superest unum quod commemorandum sit, quod affine est eius, quod supra in reliquis Zumptii scholis academicis accidisse diximus. Solebat enim antea aequaliter in scriptoribus interpretandis procedere, ut pariter omnia, quae proponeret, et critice examinata et rebus diligenter exploratis persequeretur, quae via plerisque doctorum academicorum placet et placet merito. Ea enim sola adolescentes a levitate quadam interpretandi, quae nimis facile invalescit, revocati disciplinae severiori assuefiunt. Veruntamen habet ea incommodum, olim, quamdiu alia studiorum ratio erat, non ita magnum, nunc grave nec parvi faciendum. Pauca enim sic iusta ac plena interpretatione persequi licet, quique librum aliquem se explicaturos esse professi sunt, fit ut exiguam eius particulam absolvant, reliqua auditorum studiis privatis relinquant. Quae ubi sunt assidua et ad antiquitatem universam cognoscendam directa, facile illud quicquid relictum est suppletur. At nostris temporibus cum properantes omnes videamus, ut cursu academico confecto ad negotia sua perveniant, cum ingens sit rerum discendarum copia, cum denique etiam qui vero nostrarum litterarum amore incensi sunt, compendiaria illa quae supra exposita est via uti malint, quam longiore et tutiore, qua cognitis optimis quibusque scriptoribus tum demum uni alicui studio se dedere olim viri docti solebant, haec cum ita nunc sint, quis miretur alium discedere uno et vix altero Taciti libro lecto, alium Horatii sermonum priore libro cognito,

multosque multorum scriptorum initiis intellectis reliqua auditu ab aliis, non suis ipsos studiis cognosse? Quare quo diutius doctrina academica uteretur, eo magis ad utilitatis illam rationem incumbens Zumptius consueverat non minus ille quidem et iusta praefatione scriptores illustrare, et res orationemque curare, sed, ubi viam cuiusque scriptoris legendi satis monstratam esse putabat, capita ipsa sequens aliis quae minus magna viderentur omissis, aliis non leviter, sed breviter perstrictis, sic instituebat, ut, quod in indice scholarum professus esset, id vere absolveret. Velut memini eum aliquando unis scholis coniunxisse Horatium et Iuvenalem et Persium, quibus qui operam darent, de tribus illis Romanorum poëtis satiricis quae praecipua sunt, cognoscerent et sua ipsi scientia iudicare discerent. Ad eam rem, ne puerilia agantur, quanta opus sit arte apparet, nec assecutus est Zumptius aut subito aut facile, sed quam sibi utilitatis cum eruditione coniunctae viam aperuerat, eam munivisset plane atque absolvisset, si diutius ei vita studiisque frui licuisset.

Reliquae sunt lectiones inter doctrinam antiquitatis Romanae et inter scriptorum interpretationem quasi interiectae, quarum primae erant de arte Latine scribendi, qua cum excelleret unice, unus omnium maxime videbatur idoneus ad erudiendos adolescentes. Itaque bis terve eum laborem suscepit, sed omisit paulatim, corrigendi ut opinor operam veritus, quae non poterat non subiri; nam ad Latine discendum non scientia solum, sed etiam usu opus est nec qui hunc omiserit, multum proficiet. Divisis scholis partim quae ad illam artem pertinere arbitrabatur, perpetua oratione persequebatur, partim auditorum pericula emendata explicabat. Nec tamen eius ratio hoc mihi loco exponenda erit, quae qualis fuerit, ex iis quae de libris eius grammaticis disputata sunt abunde intelligitur. Hoc commemoro, ad scribendi exercitationem consuevisse eum scriptores Graecos proponere, quos et faciles et iucundos et ab Latinitatis natura non alienos esse iudicaret; eaque de causa videtur etiam semel Aristophanis Plutum Latine praeisse. Veruntamen has scholas, quamvis

desiderarentur ab auditoribus, omisit; alias scholas non multo ante obitum iniit magnoque studio persequi parabat de historia philologiae, cuius admodum eum peritum fuisse reperio. Non dico eam partem, quae ad veteres populos pertinet (nam eam historia litterarum vel Graecarum vel Romanarum rectius comprehendet), sed eam, quae ab excitatis in Italia saeculo quarto vel quinto decimo studiis usque ad nostram aetatem pertinet, eaque eo erat utilior, quod, quantum scio, ex nullo uno libro satis cognoscitur. Ipse ex longo tempore in ea re elaborarat, libros veterum philologorum legerat, quae cuiusque vitia, quae virtutes essent, notarat, quid cuiusque aetatis proprium quidque nobis relictum esset, perspexerat. Haec quae et tironi nostrarum litterarum utilissima sunt nec veteranum nequeunt delectare, iucunde et cum summa artis suae caritate narrabat. Sed inchoatae hae fuerunt eius scholae, ut dixi, nec scripsit quicquam ex eo genere, si Laurentii Vallae vitam excipias, quam accurate narravit in disputatione inserta Ad. Schmidtii annalibus historicis Berolinensibus anni 1845.

Ac cum supra de scholastica Zumptii disciplina dixerimus, non alienum erit pauca de academicis lectionibus addere, vel conferendi causa, ut in academia quid vel addiderit vel ademerit, intelligatur. Iam qui in gymnasio ita versatus sit, ut non in litteris ipsis maximum educandi quasi instrumentum positum, sed omne id ab externa quadam vi vel coërcitione repetendum esse putarit, is in academiis nostris nihil efficiat, quae cum merito vitae studiorumque libertatem, qua sublata nihil quod bonum sit existere possit, sequantur, nullam praeter litterarum auctoritatem admittunt. Zumptio vero facillimum accidit ad studia totum converti. Intrabat fere auditorium properanti similis, qui rem agere cuperet, discedebat aegre et fere invitus, cum saepius monitus auditorum strepitu alii magistro cedendum esse intellexisset. Oratio ad negotium accincti, ubi consederat, seria erat, intenta rei, a iocis atque urbanitate aliena, raro elata, nisi cum res ipsa ardorem aliquem animi posceret, plerumque aequabiliter ac iucunde temperata; scriptum illa quidem nihil anxie sequebatur, sed de iis, quae

meditatus erat, libere evagabatur, ut aliquando, dum dicendi proprietatem quaerit, haerentis speciem praeberet, sed in hac tamen libertate dicendi brevis et concisa, quae addi potius quam demi quicquam pateretur. Ipsa dicentis species nihil habebat quod notabile esset; adeo id quod decet ubique sequens, quicquid ab litteris audientium animos avocare posset, evitabat. Unum autem doleo vehementer, quod ex academiis nostris Latine dicendi consuetudo prope tota sublata est, ut, nisi quis rideri ac tamquam ex prisca aliqua disciplina contemni velit, vix cuiquam ulla eam ex parte revocare liceat. Fuerat ea sine dubio olim nimia nec ferendum est nostra aetate reliquarum litterarum magistros ea uti lingua, quam nunquam ita possint scire, ut bene loquantur, quaeque ab omnibus nostris rebus sit alienissima: nequaquam enim is sum, qui aut nostra spernam aut Latina supra omnia extollam; video etiam ex ipsis antiquis litteris quasdam partes rectius patria lingua exponi: veruntamen eiici Latinam ex omnibus de antiquitate lectionibus et exulare eam, qua et natae sint litterae nostrae et magnam partem etiam nunc contineantur, hoc probari non posse censeo. Zumptius Latinarum litterarum professuram tamquam suam provinciam tuebatur, sciebat Latine optime, sed scholas vel semel vel nunquam habuit Latine. Quare sic accidit ut nos, cum per viginti annos eo usi simus familiarissime, cum, quamdiu aetas tulit, omnibus eius scholis interfuerimus, cum cotidiani prope de litteris ac studiis sermones intercesserint, Latine loquentem audiverimus nunquam. Quamquam accepimus ab iis, qui audiverunt, locutum esse et facillime et, quod maius est, elegantissime, ut cum Germanica oratio salebris nonnunquam impediretur neque aequabiliter procederet, Latine tamquam nativo flumine diceret. Idque in hoc propter eam ipsam rem, quod rarissime loquebatur, eo maiore admiratione dignum est. Nam veteres illos philologos et recentiore aetate Ruhnkenium et Wyttenbachium aliosque ex eo genere facillime lingua Latina usos esse quid habet admirationis? Loquebantur illi cotidie, quicquid de litteris scribebant, scribebant Latine, in ipsis adeo domesticis rebus sic

saepe instituerant, ut a consueta sua oratione non discederent, denique patrium vix ullum sermonem sibi reliquerant, unde ad doctrinam apud illos accedebat perpetua exercitatio. At Zumptius sola eruditione mentisque quasi agitatione assecutus est, ut cuivis illorum possit comparari, plurimos, quia perpetuo in grammatica versabatur, elegantia superarit. Quo magis molestum esse solet, quod maluit posse Latine loqui, quam quid posset ostendere. Quamquam non ipsi id tribuendum est, sed vel aetatis nostrae mori, cui obniti nollet, aut aliis quibusdam rebus, quas mutare nequiret, neque hic locus est conquerendi de Latinitatis interitu, quem cum pro viribus suis retardaret, ne si locutus quidem esset Latine, impedire potuisset.

Propero enim ad studia eius litteris consignata, quorum cursum, ut munera eius narraremus, interrupimus. Ea studia postquam ab gymnasio abiit, diximus ab libris scholasticis traducta esse ad eos, quos viris eruditis, non tironibus scriberet, nec, si utrum vellet licuisset, ad illos unquam redisset. Ac prima quidem ex hoc genere fuit Q. Curtii Rufi editio, coepta paulo postquam Latinarum scholarum in gymnasio tuendarum provinciam accepit, inchoata magna alacritate, tum diu aliis necessariis negotiis remissa, denique absoluta in ipso vitae exitu, ut nihil sit quod magis cum eius studiis coniunctum esse videatur. Magnas hic scriptor, cum diutius quam par erat iacuisset, ante hos triginta fere annos excitarat virorum doctorum controversias, quas testantur imprimis trium principum de eo scriptae commentationes, Phil. Buttmanni, Aloys. Hirtii, Barth. Niebuhrii. Disceptabatur enim de aetate Curtii, quando vixisset, quis fuisset, unde pendebat illud, num dignus esset, qui et in rebus Alexandri tradendis fidem inveniret et orationis Latinae bonus auctor existimaretur. In diversissimas illi sententias abierant; nam quem Hirtius imperatoris Augusti temporibus tribuerat, eum Buttmannus Vespasiano, Niebuhrius Septimio Severo imperante vixisse iudicabat, ut parum recessum esse appareret a veteri dissensione, quae fuerat tanta ut, cum item essent qui Augusto tribuerent, alii ad Constantini vel Theodosii tempora detruderent. Ipse quidem Zumptius

quid iudicaret, secum statuerat, cum anno 1816. quaerens, quem ex iis scriptoribus, quorum publice interpretandorum cura sibi mandata esset vel mandari posset, privatis studiis expoliendum atque enarrandum sumeret, Curtium sine dubitatione elegit. Adeo, ut primum eum cognovit, fieri non posse intellexit, ut elegantissimus scriptor ad deteriorem Latinitatem pertineret; nam Livio est simillimus, quamquam in diverso consilio aliud dicendi genus sequitur, Senecam, Tacitum Pliniosque superat haud dubie, infra Traianum vero qui coniecerunt, incredibile est quantopere iudicio decepti sint, quo tempore nemo aetatis suae vitia fugere aut voluit aut potuit. Hoc Latinitatis argumentum, quod, etsi magis sensu quodam percipitur quam demonstratur, apud eos tamen qui sciunt Latine valet plurimum, Zumptius sic stabilivit, ut vix videatur quisquam amplius posse existere, Curtium qui in mediam argenteam quae dicitur aetatem inserat. Nimirum priores interpretes fefellerat verborum vitiositas, quae per usitatissimas editiones propagata ipsum scriptorem in malam virorum doctorum famam adduxerat. Id incertis antea vestigiis indagare coeperat Zumptius, prorsus intellexit, ubi aditu ad Florentinae bibliothecae thesauros amicorum quorundam opera aperto contigit, ut praestantissima emendationis subsidia nancisceretur, codicum octo Laurentianorum collationem, a nescio quo vel monacho vel monachorum certe assiduitatem aemulato tam diligenter factam, ut vix quicquam in eo genere possit esse laudabilius. Quam cum scribentes haec intuemur, praedicamus felicitatem etiam Zumptii, qui quod unum deerat mature adeptus sit: singula enim prope verba sequitur, ipsos levissimos errores apicesque annotat prorsusque conferenda est cum illa, quae pro optima celebrari solet, Ciceronis collatione Lagomarsiniana. Veruntamen, etsi optima haec erant subsidia eaque quae cuivis scriptori emendando sufficiant, difficile tamen tunc erat iis uti, neque qui ex hoc nostrae aetatis more iudicabunt, quamquam nihil fere quod recte reprehendant invenient, vere quae Zumptii laus sit poterunt intelligere. Etiam veteres philologi bonis codicibus usi sunt ac melioribus saepe, quam

qui nobis suppeditantur, sed usi sunt hic illic, nullo certo consilio, nulla constantia, nulla ratione. Ne Wolfius quidem, qui omnes philologiae partes excitasset, haec ingenio suo vincula imponi patiebatur, ut aequaliter ad eos, qui cogniti essent optimi, codices scriptorem exigi vellet, neque eae Latinorum scriptorum editiones, quae nunc sunt satis multae, quibus criticae artis fundamenta constituta sunt, tunc prodierant. Nuper Io. Aug. Goerenzius, ni fallor, invenerat, ut classes quasdam et familias ac quasi cognationes codicum distingueret, qua sola re efficitur, ut numero codicum liberati pondus cuiusque sequi possimus, sed quantopere quod posuerat ipse non executus sit, cum alii docuerunt, tum in Ciceronis libris de finibus apparuit. Quare ut initia criticae in scriptoribus Latinis factitandae erant sane bona, ita exemplum quod imitaretur Zumptius illo tempore habebat nullum. Curtii autem historiae ita erant habitae, ut emendatione constantissima egerent. Tulerat enim fors ut Vindelino Spirensi, qui anno 1471. primus Venetiis Curtianos libros typis descripsit, codex deterioris notae offerretur, qui cum expressisset quae invenerat, repetitus erat ad nostra usque tempora nec fides habita Fr. Modii editioni Coloniensi anni 1579., in qua quae bona erant, quia mixta erant malis, immerito iacuerunt. Ex huius Modii opera quam Curtiani libri fortunam fuisse suspicatus erat Zumptius, eam intellexit subsidiis suis criticis diligenter examinatis viditque, etsi omnes codices ex uno aliquo vetustissimo, tristitiae barbarorum saeculorum superstite, manassent, duas tamen esse quasi familias, unam integriorum, qui solitos librariorum errores perpessi essent, alteram de industria corruptorum vel ab viro aliquo docto correctorum. Iam hoc faciebat ut, quae vetera exemplaria ratione usuque proba invenisset, ea constanter sequeretur neque ab iis discederet, nisi ubi eadem ratio mendosa esse evicisset. Nam modo haec modo illa sequi et diversis confundendis novum aliquid ex bono maloque mixtum efficere censebat esse interpolare scriptorem. Haec si quis nunc profiteatur, quis recta esse neget? quis vituperet? At tunc nondum ferebant invectusque est in Zumptium tamquam cupidum rerum

novarum Georg. Lud. Walchius, deum hominumque fidem implorans, ne criticam artem everti paterentur, cuius iniustam ille iracundiam atque inhumanitatem, qua censuram bene longam in ephemeridibus Halensibus anni 1829. implevit, inultam praetermisit. At nunc (vide quam mutata sit aetas et quo ipsum illud, cuius magnae partis auctor fuerat Zumptius, evaserit) longe diversa vituperent viri docti: querantur non satis servatam esse codicum fidem, prodi velint rationem, quia aliquando apud aliquem scriptorem inveniatur, quod librariorum inscitia admisit, negent etiam hunc vel illum codicem esse deteriorem. Velut ipsam illam de vetere interpolatione codicum sententiam improbavit vir doctus, qui nuper Curtio operam dedit, negavitque potuisse Curtium saeculo quarto vel quinto decimo interpolari, quem ex episcopi Philippi Gualteri Alexandreide intelligere sibi videretur iam saeculo altero vel tertio decimo iisdem fuisse vitiis inquinatum. Minus ille quidem recte; si quidem multa necessario codicum integrorum et interpolatorum communia in vetere ἀρχετύπῳ fuerunt incertaque carminis cum scriptore comparatio, quare quos ille attulit locos, nihil prorsus efficiunt. Mitto alia, quae tunc novari homines non ferebant, velut, quod leve est, quod Dareus rex appellabatur, qui Darius esse consuerat, quantos clamores excitavit? quem nunc non ferunt modo, sed quatenus consuetudo nostra patitur, probant atque imitantur. Quamquam dolendum sane est, operam Zumptii Curtianam, qua novam hanc criticae artis viam muniturus erat, non esse continuo absolutam vel viris doctis patefactam. Recensuerat totum librum, conscripserat commentarium, quo et de rebus et de oratione satis disputarat, paraverat alia interpretationis praesidia, sed redemptor properans ad lucrum faciendum editionem quasi scholasticam praecurrere cupiebat. Ea prodiit anno 1826., praefatione instructa, qua et de nova recensione et de aetate Curtii breviter, ut oportebat, sed luculente exponitur, tum discrepantia codicum lectionis, ubi quicquid ab codicum fide discessum est religiose notatur. Maiorem ac iustam editionem paululum differebat redemptor, quam, ubi minorem, quod statim ubique

repeteretur, minus cupide expeti vidit, damnum timens, suscipere amplius noluit iacueruntque commentarii Zumptiani per tres et viginti annos. Tum Curtii condicio erat sane longe melior, quam fuerat antea (legebantur enim scriptoris verba elegantissima, non prava alicuius librarioli inventa), sed aliquanto tamen deterior, quam esse vel debuerat vel potuerat. Sciebant homines docti, elaborasse in eo Zumptium, esse apud eum praesidia critica optima, quotannis expectabant ut ederet sua, denique desperantes de aenigmatis propositis partim, quod certe fieri non debuit, fidem eius incusare audebant. Sic ille fatigatus tandem amicorum precibus ubi commentarios edere statuit, poenam dedit longae morae, non quod multa mutanda esse videret minusve iam vetera placerent, sed quod quem sibi absolverat Curtium, aliis repetere molestum erat, nec multum solatii afferebat codicum Bernensium nova collatio, quibus ut vetera sua confirmari gaudebat, ita novi nihil praeberi dolebat. Commentariis quidem adiecit quaedam interim inventa, sed pauca, non quod virorum doctorum operam contemneret aut editionem suam quam locupletissimam esse nollet, sed quod nisi plena lectionis varietate diligenter examinata, quae nemini patuerat, ad veram scriptoris manum perveniri non posse censebat. At interpretatio historica et geographica magnopere interim erat aucta, neque in ea Zumptius non elaborarat, cuius rei testes sunt imprimis tres commentationes ad geographiam Asiae et ad historiam Alexandri pertinentes, quas in annales militares, qui tunc Berolini edebantur, anni 1824. et 1825. inserendas curavit.*) In ipsam maiorem editionem, ne liber ad ingentem molem produceretur, pauca modo, quae ad intel-

*) Apponimus titulos commentationum, quia paulo obscuriores sunt nec multis notae. Prima sic inscribitur: „Bemerkungen über Alexanders des Grofsen Geschichte, die Organisation seines Heeres, und seine Art den Krieg zu führen, in annalibus qui sic nominantur: Zeitschrift für Kunst, Wissenschaft und Geschichte des Krieges, sechstes Heft, Berlin und Posen 1824. Altera haec est: Geographische Nachrichten bei den alten Schriftstellern von Medien, Persien und Susiana, verglichen mit den Entdeckungen der neueren Reisenden; tertia haec: Ueber die Verhältnisse der Griechischen Freistaaten zu Philipp und Alexander von Macedonien, in iisdem annalibus anni 1825.

ligendum scriptorem necessaria esse viderentur, recepit. Absoluta est haec altera opera Curtiana anno **1846.**, cum Zumptius iam ingravescente malo, quo triennio post periit, vix magna animi constantia vim morbi superans tardius rem gessisset nec ea alacritate, quam in tanti operis fine expectes. Addiderat etiam maiori editioni minorem in usum scholarum destinatam, brevibus et perspicuis notis ornatam. Ipsam librorum descriptionem impediverunt aliquamdiu rerum novarum minae, quae paulo post per patriam nostram eruperunt, quibus paululum sedatis cum tandem nitidissime descripti prodirent, auctor ipse paucis diebus ante decesserat, invidia quadam fortunae ita extinctus, ut, quae viris doctis promiserat, absolveret, sed absoluta intueri eorumque merita laude frui non liceret.

Diximus de Curtio fortasse plura, quam ferat nonnullorum cupiditas; veruntamen explicanda haec erant studia, ut quam criticam Latinorum scriptorum artem Zumptius invenisset, quam ipse tenuisset ac posteris reliquisset, intelligeretur, paucioribusque licebit defungi reliquis eiusdem generis studiis. Ex quibus, si temporis ordinem sequemur, deinceps commemorandus erit Quintilianus, non sua sponte susceptus, sed amicorum causa et ut optimi olim magistri memoriae satisfaceret, receptus. Etenim, etsi in ipsis cursus scholastici initiis de decimo libro Quintiliani edendo cogitarat, totius scriptoris recensendi negotium a Buttmanno sibi delatum subiit. Nimirum notabilis fuerat Quintiliani Spaldingiique eum edituri fortuna, ex qua apparet quam vera sint, quae de critica arte ineuntis huius saeculi disputavimus. Etenim cum vir doctissimus et Latinitatis peritissimus Quintilianum edendum eligeret, de critica eius recensione cogitabat minime, communi omnium usui consulens in interpretatione maxime versari statuerat nec tamen, si quando ita res tulisset, ab emendando abstinere; quare praesidia critica nec quaerebat anxie nec, quae habebat, constanter ac diligenter adhibuit. Sed ut inito opere primum volumen absolutum est, et ipse maiora paulatim spectare coepit et viri eruditi multa offerebant utenda. Ita alterum volumen factum est copiosius primo, tertium altero, nec dubium est quin

ultimum volumen iusta ratione ad codicum fidem exacturus fuerit, si veterem viam, quam ingressus erat, deserere vel potuisset vel voluisset. Accessit enim ad illam, quam diximus, universi consilii mutationem primum hoc, quod cum in penuria bonorum codicum, qua initio laborarat, deteriores duces elegisset, hos ne inventis quidem melioribus destituere voluit, deinde quod ipsos hos meliores paulatim, optimum omnium paulo antequam obiit nactus est. Quae cum ita sint, nonne querenda est viri praestantissimi infelicitas, qui cum abundaret ingenio ac doctrina, cum excelleret industria, cum ab ipsa natura ad elegantissimum scriptorem restituendum unice factus esse videretur, hanc fortunae invidiam perpessus sit, ut quae externa humani ingenii subsidia necessaria sunt, ea sero acciperet? Nam etiam illud, quod de supplementis edendis saepe cogitarat, praecisum est fati iniquitate, qua nondum absoluto quarto volumine subito extinctus est. Amici casum dolens absolvendum recepit Phil. Buttmannus, alacri primum animo, quia rem paucorum mensium fore sperabat, tum, ut multa superesse vidit, invitus prope ac querens otium suis multis ac necessariis negotiis subtrahi tandem absolvit anno 1816., quinto anno postquam aggressus est. Restabant supplementa illa, quae Buttmannus adiicere noluit, vel quod otium deesset vel quod hanc omnem operam ab consuetis suis studiis nimium abhorrere intelligeret. Certe in quarti voluminis praefatione, quo erat insigni animi candore, fatetur cum alias tum in Quintiliano se esse expertum, quam non esset Latini sermonis peritus: adeo sese, ubi ex interiore Latinitatis scientia iudicium repetendum esset, nescisse quid diceret eaque de causa saepe tacere quam peccare maluisse. Sic Quintiliani absolvendi cura anno 1821. ad Zumptium pervenit, qui, ut erat unus omnium maxime idoneus, ita, quamquam quantae molestiae plena futura esset opera perspiciebat, et scriptoris et Spaldingii causam alacriter recepit. Iam cura duplex esse debuit, primum ut Spaldingianam editionem per totum opus aequalem redderet, si quid Spaldingius se ipse emendans ad notas suas adiici voluisset, adderet, praesidia critica omnia a primo libro usque

ad extremum commemoraret, deinde ut secundum quem postremo ille habuerat apparatum criticum cum constantia et ratione subtilissimi rhetoris opus emendaret. Ita fructuosior eius opera extitit quam ad speciem iucundior aut eruditior. Maior enim labor erat ex alienis copiis addere quam ipsum scribere atque ingens taedium in tot editionum ac codicum varietate enotanda superatum est. Quare ut fructum etiam aliquem tanti laboris ferret, simul veritus ne, quod in Curtio ei acciderat, continuo existeret qui secundum ea, quae abdita quasi laterent in multiplici annotatione, facile novam recensionem institueret, Zumptius postquam anno **1829**. quintum volumen editionis Spaldingianae absolvit, anno **1831**. adiecit alteram editionem, quae tantum verba Quintiliani emendata cum brevi annotatione, quid in codicibus quid de coniectura legeretur, breviter significante exhiberet; ipsam autem Quintiliani orationem magna rerum copia abundantem codicum fidem secutus capitibus et inscriptionibus eorum distinxit. Auctor etiam extitit, ut lexicon Quintilianeum conderetur ab Ed. Bonnello, viro doctissimo, tunc auditore suo, hoc in genere et princeps fere et optimum, cuius generis si haberemus plura, multum hercle ad Latinitatem accuratius cognoscendam proficeretur. Sic tandem plus quam triginta annis postquam primum volumen prodiit, Spaldingiana editio absoluta est et ita absoluta, ut luculentus Latinitatis auctor, artis vero suae sine dubio praestantissimus magister in eum quem assequi licet, nitorem restitueretur.

Veruntamen Quintilianea opera, etsi nec parva fuit et litteris nostris utilissima imprimisque ad criticam rationem confirmandam valuit, aliunde imposita erat Zumptio; ipse enim eodem, quo Curtium coeperat, tempore Ciceronem elegerat, in quem summa studia dirigeret. Causa eligendi quae fuerit nescimus, sed videtur haec fuisse, quod ab ipsis doctrinae suae incunabulis sic sibi persuaserat, nisi qui huic operam dedisset et assiduam et diligentissimam, Latine scire posse neminem, quod si antea dubitarat num ita esset, certe postquam in grammaticam Latinam incubuit, non amplius dubitavit: adeo ad

illam unam normam omnia Latinitatis praecepta regenda esse perspiciebat. Ac bona quadam fortuna accidit ut in id opus Ciceronianum incideret, quo haud facile ullum est praestantius, sive ingenii ubertatem cum divinae eloquentiae vi coniunctam, sive rerum copiam ac varietatem sequimur. Invenio enim eum ab ipso anno **1816**. cum modo in scholastici doctoris munere quasi incaluisset, Verrinas sibi tractandas sumpsisse. Quamquam nolim hercle hoc ita dicere videri, ut eum unquam a reliquis libris Ciceronianis vel tantillum recessisse putem, quos tanta industria cognovit, ut omnes quasi memoria teneret singulasque non modo res, verum etiam voces, quae in quoque legerentur, meminisset. Provocabat amicos ad periculum sui faciendum, ut dicerent sententiam aliquam Ciceronis, tum ipse indicaret, ex quo esset libro sumpta et quomodo cum reliquis connexa, solebatque vincere. Sed in Verrinis praecipue operam collocare statuerat, ut, quae ex reliquis didicisset, ad has et recensendas et explicandas adhiberet, ipsaeque grammaticae eius observationes ex his orationibus ita pendebant, ut harum causa primum factae essent, quarum maxima parte postea ad grammaticam locupletandam usus est. Ciceronianae autem omnis interpretationis longe tunc alia erat condicio atque hoc tempore. Nitebatur enim fere Ernestio, viro ingeniosissimo et de Cicerone praeclare merito, sed ab ea, quae nunc poscitur, constantia critica remotissimo. Eorum, qui certatim deinde in Ciceronis libris elaborarunt, nondum prodierat quisquam praeter Heusingeros quidem, quorum paulo post mentio fiet; Garatoniana studia, si ab Philippicis orationibus discedas, nec aequali cura per omnes Ciceronis libros versabantur et in hac regione magis incerta fama audiebantur quam cognoscebantur. Schützius, qui pessumdederat criticam artem, dum adiuvare videtur ingenio, paulatim intelligebatur qualis esset; at Goerenzii in quibusdam rebus nova, sed in plurimis et temeraria et levissima opera magni fiebat Beckiusque maiora secutus quam assecutus erat. Ne Fr. A. Wolfius quidem, etsi sensum Latinitatis praeclare acuerat animosque ad aliam ante apud nos prope ignotam de veteribus iudicandi rationem adverterat, in Cicerone

satis constanter elaborarat. Cui ille quodammodo nocuerat. Eum cum consuessent omnes tamquam summum non modo dicendi, verum etiam sapientiae exemplum venerari ac quicquid ab illo profectum esset, ut divinitus prope traditum colere, ille primus vituperare ausus est ac praecipue inconstantiam quandam vitae gloriaeque captandae vanitatem insectari. Quae fuerit sane in Cicerone (neque enim defendam), sed neque ulla humana natura omnibus numeris absoluta est, et Cicero hoc quicquid est vitii, tantis totque compensavit virtutibus, ut quod aequales fortasse debuerant improbare, posteros dissimulare magis quam nimis urgere deceat. Nunc enim sic usu venit, ut haec dum iactantur, incredibilis prope Ciceronis praestantia contemnatur neque eam admirationem inveniat, qua est dignissima. Haec igitur tunc sic erant, cum nascerentur Zumptii studia Ciceroniana; nam quadriennio antequam prodierunt, emitti coepta est Orelliana editio, quae ut ad multos libros non tantum novi attulit, quantum olim Ernestiana, ita quia complectebatur quicquid extiterat, novorum tamen studiorum certissimum quasi fundamentum factum est. Adde quod Zumptio ingredienti opus non eadem aderant subsidia critica quae finienti. Tum paucis uti licebat codicibus, qui boni illi quidem essent duces, sed non omnem critices Ciceronianae decursum explicarent. Itaque improbissimus ei labor tolerandus erat in conferendis editionibus veteribus, quae essent deductae ex codicibus et ex quo genere codicum et quanta fide ac constantia, qua opera fastidii plenissima postquam originem lectionis vulgatae rationemque eius emendandae invenit, accesserunt tandem etiam copiae criticae, quas si ab initio nactus esset, longe faciliorem habere potuerat recensendi operam. Neque enim licuit facere, quod nunc solent, qui satis copioso instrumento critico adiuti ad scriptorem edendum aggrediuntur, ut neglectis editoribus superioribus solos codices manu scriptos sequantur, et ex his omnium optimis testibus orationem constituant. Sic abrupta quodammodo serie historica, qua scriptor ad nos pervenit, altera quasi princeps editio nascitur, in qua si universe significetur, quid superiores interpretes praestite-

rint, neque iniuria cuiquam fiat nec quicquam sit, quod recte desiderari videatur. At Zumptio ipsa, qua initio laborarat, praesidiorum criticorum inopia magnae laudis principium extitit, tulitque fructum operae consentaneum; insigni enim exemplo rationem veterum editorum demonstravit, vulgatae lectionis, a qua desciscere olim piaculi instar habebatur, honorem convellit specimenque exhibuit, quo et eruditi viri, si codicum ope destituantur, regantur et homines critices recte factitandae studiosi doceantur, cuius nullum alium scriptorem tantam praebere opportunitatem, quanta in Cicerone est, significavimus. Quamquam ita etiam aliud ipse commodum habuit non parvum. Etenim cum initio magis ratione quam testimoniis cum lectionis vulgatae vitiis, quae certe ex codicibus ducta esse norat, pugnaret, fieri non potuit ut, dum vinculis communibus liberari cupit, in contrarium errorem incideret codicumque, rei saepe fallacissimae, in servitutem sese addiceret. Id enim accidere non paucis nunc vidimus, qui prodita ratione quicquid ab libro aliquo manuscripto traditur, id verum esse iurant grammaticaeque et sanae mentis leges violare malunt quam ab testium modo incertorum modo corruptorum fide vel tantillum recedere, qua re, ne alia commemorem, fiat ut ad veteres illas propemodum sordes detrudamur, ex quibus priscorum philologorum ingenio emerseramus. Mediam quandam et ratione ubique temperatam viam Zumptius sic sequebatur, ut quos ratio docuisset meliores esse codices, eos tantum exprimeret, quantum ipsa, a qua initio profectus erat, ratio pateretur, atque ita, dum ratio ne in libidinem vertatur testium ope, testes ne in errorem inducant ratione prohibetur, illud effecit, ut editio sua, emissa anno **1831.**, princeps esset ex tribus illis vel quattuor operum Ciceronianorum editionibus, quibus hoc tempore litterae nostrae ornatae sunt. Diximus de critice, quae cum in iusta hac et viris doctis scripta editione magnam commentarii partem occupet, tum dominatur in altera, quae illi paucis mensibus praecurrit, in adolescentium usum confectae. Ea praeter verba oratoris diligenter recensita brevemque Ernestianae varietatis indicem verbis subiectum

nihil habet novi, nisi forte partes orationis in margine accurate notatas paucaque alia eiusdem generis pro artis Zumptianae quodam argumento accipere placet. Nec vero praetermittenda est ipsarum rerum, quas Cicero commemorat, interpretatio (nam de grammaticarum rerum explicatione paulo ante dictum est), quarum rerum in nullo prope Latinarum litterarum monumento maior est copia, ut hoc si careremus, quasdam reipublicae Romanae partes, veluti vectigalia, veluti provinciarum administrationem, prope ignoraremus. De his cum posset uberrime disputare, admiratus saepe sum, quantopere brevitatis ratione adductus vela doctrinae suae contraxerit, ne scilicet quem ornare vellet scriptorem oneraret, sentioque id a nonnullis ei vitio esse versum, imprimis quod causam Verris non perpetua oratione explicasset. Verum qui accuratius librum cognoverit, etsi quicquid ab superioribus recte explicatum esse videbatur, praetermissum inveniet, reliqua tamen brevissime sed quod viro docto satis sit commemorata reperiet; de causa autem Verrina aliquanto post in commentatione altera de iudiciis repetundarum opportunam nactus occasionem plene disputavit. Quamquam etiam in ipso commentario insunt longiores aliquot disputationes, velut de lege Voconia, de Siculorum civitatum iure, aliae, ut prorsus eum hoc libro quasi gradum fecisse appareat ad antiquitatis studia, in quae postea incubuit.

Sed de his quidem paulo post narrabimus; nunc dolendum quod non plures Ciceronis libros edere ei licuit. Statuerat enim eiusdem actiones consulares, et eloquentiae vi et rerum maximarum copia praestantissimas nova cura recensere, qua de causa cum Romae versaretur, collationes Lagomarsinianas diligentissime descripserat, ut, quae fides sit in ipso Lagomarsinio, eadem in Zumptianis schedis esse videatur. Quam iucundissimam sibi operam dum ad provectiorem aetatem reponit, factum est ut nec viris doctis saepius ut ederet hortantibus obtemperaret, et ipse morte occuparetur; neque enim quicquam, quod eo pertineat, scriptum esse scio praeter commentatiunculam recitatam in consessu aliquo academico anni

1848., in qua de universa codicum ratione ad orationem pro Murena adhibendorum disserit. In schedis etiam, quas reliquit, videntur perisse si quae scripsit alia; in quibus nihil quod ultra ipsum inchoandi initium procederet, invenimus. At hercle alium Ciceronis librum, si non magna, at eleganti doctrinamque et iudicium testante opera elaboratum edidit, eum qui est de officiis. Quem cum pridem soleret non modo propter orationis ad praecipiendum ac disputandum aptissimae praestantiam, verum etiam propter rerum copiam ac prudentiam ita admirari, ut nullum adolescentibus ad animum erudiendum, nullum viris ad delectationem magis commendaret, facile paruit bibliopolae Heusingerianae editionis repetitionem mandanti. Haec enim editio omnibus semper eximia atque Ciceronianorum librorum una, in qua interim acquiesci posset, visa erat. Quae cum ab duobus Heusingeris profecta esset, superior Ioannes Michaël elegantissima interpretatione Latinitatisque observatione, minor Iacobus Fridericus arte critica excelluerant. Quorum editionem supplere quasi et ad hoc tempus deducere erat operae pretium; nam mutari quidem ex iis, quae tanti viri scripserant, debebat nihil. Hac igitur ratione usus Zumptius parce et modeste, quicquid vel ex codicibus post Heusingeros cognitis colligebatur, vel ab iis minus recte disputatum esse videbatur, annotavit, nec scio quicquam in iis quae scripsit esse reprehensum; hoc video fuisse qui plus addi cuperent, quibus non tam rei administratio, quam consilii ratio displicuit. Sed praestitit tamen sine dubio ut viam codicum alterius familiae, quae dicitur, Heusingeris admodum leviter cognitae recte utendae monstraret aliosque qua incedere deberent, adhortaretur. Quicquid autem in maiore editione, quae prodiit anno 1838., interpretando clarissimo veteris sapientiae monumento effecerat, id in usum adolescentium converti cupiens eadem ratione, qua Heusingeriana olim editio omissis criticis notis in scholasticam mutata erat, adiecit editionem minorem, scholarum usui destinatam. In ea exolutus fide, quae nomini Heusingeriano debebatur, suum ingenium sequi licuit ususque Heusingerianis ut suis editionem effecit iis, quibus

scripserat, accommodatissimam. Abhorrebat nimirum nescio quo pacto ab omni illo genere editionum, quae appellantur cum notis variorum, non quod eas contemneret aut utiles esse negaret, sed quod ipse pro sui animi sensu minus probabat. In quibus quae necessario existit varietas coloris, recedere videbatur ab illa quam ubique sequebatur, constantia atque aequalitate; quare in interpretationibus cum laudes superiorum eximie celebraret, vix tamen erat quod non mutando suum faceret, atque in maiore editione Heusingeriana ob eam ipsam rem, quod condicionem sibi impositam minus probabat, suorum fuerat parcior. Unum addo, cum celeriter divenditis editionis scholasticae exemplis redemptor librum repetiturus deliberaret, an praestaret notas scribi Germanice, pernegasse Zumptium. Curtii ille historiam Germanicis notis illustravit, idem in scholis, quia ea et brevissima et utilissima videbatur ratio, semper loquebatur Germanice, at Ciceronem quique alii adolescentibus, non pueris proponuntur scriptores, Latinis notis instrui volebat, ne scilicet et inertiae modo discentium consuli et ex omni institutione Latinitas tolli videretur.

Atque hi quidem, quos commemoravimus, fructus erant studiorum Zumptii in universitate Berolinensi versantis, quorum origo referenda est ad priorem aetatem, qua ad scholasticorum munerum necessitatem etiam otium accommodaverat; novum accessit antiquitatis Romanae studium, quod regere iussus in universitate privatim quoque excolere statuit, qua in re externam quasi formam ab alio vel honore vel munere sibi iniuncto repetebat. Additus enim est anno 1836. academiae regiae Berolinensis sodalibus, quibus quae impositae sunt scriptiones, optimam eorum, quae invenisset, exponendorum occasionem praebebant. Universam quidem eam doctrinam uno opere complecti non audebat, non quod non, quicquid obscurum est, a sese illustrari, quicquid incertum, confirmari posse desperaret, sed in tanta nostrorum temporum diligentia ac sedulitate nec mediocria ferri nec bona proferri posse putabat; quare cum pridem, ut per antiquitatem cognoscendam progrediebatur, locos quosdam, qui imprimis interpretatione ege-

rent, notasset, paulatim coepit eos exequi. Extra eorum ordinem posita est commentatio de decreto municipali Tergestino, edita anno 1837. professurae ordinariae adeundae causa, qua celebre illud in epigraphice Latina Fabii Severi monumentum ad exemplum accuratissimum Tergeste missum recenset historiamque civitatis, cuius respublica commemoratur, illustrat.*) Erudita est et acuminis plena disputatio, quae, quantum antiquitatis et linguae accurata cognitio ad monumenta vetera explicanda conferat, luculente demonstret; sed magis tamen placet exquisita illa doctrina, quae ex commentationibus academicis intelligitur. Earum prima prodiit anno 1837. de comitiorum centuriatorum populi Romani ratione, quo argumento nullum prope constat esse in antiquitatibus Romanis aut obscurius aut difficilius. Ipsi enim Romani Graecique rerum Romanarum scriptores, ut in re nota omnibus nec dubia paucissima commemorarunt, quae non ad rationem ipsam cognoscendam pertinent, sed ad reipublicae universum regimen, quae partes populi hac vel illa comitiorum ratione plus valuerint. Quid igitur est mirum nunc frustra fere ad haec, quae in parvis rebus nituntur, intelligenda esse laboratum, aut fuisse adeo quosdam, qui ut aliquid afferre viderentur, quia a veteribus aperta testimonia peti non posse viderent, etiam pauca illa a certis auctoribus tradita everterent? Assensus quidem virorum doctorum difficile factu est ut feratur; quia enim expressa vestigia nulla sunt, res fere pendet ex accurata universae antiquitatis intelligentia, quam neque habent multi neque, qui non habent, qualis sit aut esse possit percipiunt. Neque decernam equidem, utrum Zumptius verum reperisse videatur (in utramque enim partem potest disputari); sed hoc equidem video, cum veterum auctorum testimonia non repudiarit sed conservarit, non correxerit sed explicaverit, prolatam ab eo esse eam rationem, qua haberi comitia potuerint, nec, si quis probabiliorem posthac invenerit, quae accipiatur a viris

*) Titulus eius est hic: Decretum municipale Tergestinum de honore Fabii Severi secundum veterem lapidem denuo recensitum et illustratum. Berolini 1837.

doctis, qualis quidem adhuc extitit nulla, doctrinam Zumptianam incusari posse. Adiecta huic commentationi est altera perbrevis de M'. Curio annotatio, qui lacum Velinum per cuniculos in Narem emisit, quem cum reliqui statuerint fuisse veterem illum et clarum regis Pyrrhi victorem, Zumptius dubitavit an ad Ciceroniana potius tempora referri oporteret. Quae coniectura si quibus minus placet, (ac scio displicere nonnullis, qui Curii gloriam tanto opere spoliari nolint) in re incerta prorsus tantum tribuant auctoritati Zumptianae, ut in ipsorum auctorum testimoniis esse existiment, in quo merito offendatur. Nec minus difficili in argumento versatur altera de iudicio centumvirali disputatio, edita anno 1838., qua praesertim in alienam provinciam, quam tamquam suam Icti tueri solent, invasisse videretur. Res est ea, de qua nihil certi tradatur, sed eadem ad iuris Romani originem cognoscendam valet plurimum. Quare divinatione maxime opus erat, ut collectis causis centumviralibus statueretur, quid earum commune ac iudicii centumviralis proprium fuisse videretur. Tertia de equitibus Romanis equestrique ordine commentatio scripta anno 1840. tantundem habet illius, quae appellari poterit divinatio, quantum eruditionis. Obscurissimus antea fuerat de equitibus locus in antiquitatibus Romanis, quem qui quaedam de C. Gracchi legibus, de iudiciis, postremo de suffragiis attulissent, praeclare videbantur illustrasse; fuerunt etiam qui nostrorum temporum similitudine decepti nec fontem nec decursum rei perspicerent a veroque prorsus aberrarent. At Zumptius quae illi egerant, quia cum aliis multis et magnis legibus coniuncta esse intelligebat, leviter perstrictis, ipse cum totus intra equestrem ordinem contineri cuperet, quicquid is in republica valuit, omisit idque unum egit, ut quomodo extiterit et interierit doceret. Et tamen ne de origine quidem multa dixit, quae cum celeberrimo illo argumento, quod hac aetate certatim tractari solet, de regum legibus et institutis cohaerent; fugiebat enim longiorem disputationem in his, quae cum vix ipsis Romanis fuerint cognita, nedum a nobis possint perspici, ingenti opinionum et coniecturarum copia prope obruta sunt. Quan-

topere autem Zumptius fuerit suus, apparuit cum paulo post I. Marquardtii Gedanensis doctissima eiusdem argumenti commentatio prodiit, quae cum via a superioribus temptata potissimum incederet, factum est ut neutra sua laude carere videretur. Venio ad eam, quae praestantissima ex Zumptianis commentationibus mihi videtur esse, quam anno **1841.** edidit de hominum frequentia per veteres populos. Ea mixta est ex genere historico et, ut ita dicam, antiquario. Nam ut summum illud quod efficitur valet plurimum ad universae veteris historiae naturam cognoscendam, ita singula nisi ab eo qui antiquitatis sit peritissimus inveniri non possunt. Factum enim est nescio quomodo, ut qui veterum populorum res scripserunt, magnitudine rerum gestarum litterarumque et artium splendore decepti quo quemque populum tempore maximum imperium habuisse viderent, eodem copia ac frequentia hominum maxime floruisse existimarent. Hinc magni magnorum virorum errores nati sunt, ut eorum, qui Antoninorum tempore et quiete domestica et bonis ac sapientibus legibus felicissimo imperii Romani vim quasi internam summam fuisse iudicarunt, ut aliorum, qui Atheniensium non modo imperium verum etiam populum belli Peloponnesiaci tempore maxime floruisse statuerunt, omninoque magna gravissimarum rerum ignoratio extitit, ut nec leges institutaque multa intelligerentur, nec interitus quomodo tam subito accidisset perspiceretur nec denique quod ex universae veteris historiae conspectu de populorum fortuna discitur, animadverteretur. Haec luculenta et magnifica ratione demonstrat Zumptius, per maximas ille quidem res ingrediens neque singula pluribus quam opus est persequens. Summa autem eius disputationis haec est, cum vis frequentiaque Graecorum maxima fuerit paulo ante bella Persica, Romanorum ante bellum Punicum primum, potentiam quasi internam populi hominum et frequentia et frugalitate nixam, non ex imperii magnitudine esse iudicandam, sed sic fere accidere ut, quo tempore hoc sit maximum, eo illa minuatur. Non agemus hoc loco, ut ipsi tantum quo quivis merito delectetur, argumentum explicemus, sed quam esset magnum, saepe in

multis rebus cognovimus optamusque ut plurimi singula pertractando veram humani generis historiam condere incipiant, qua nihil ad antiquitatem intelligendam, nihil ad nostras res regendas potest esse utilius. Tum commemoranda est commentatio de scholis philosophorum Atheniensium et successione scholarcharum, scripta anno 1843., quae duas habet partes, quarum priore demonstratur, qua ratione impensae scholarum, quae quattuor diutissime Athenis constiterunt, toleratae sint, altera nomina vitaeque eorum qui sectis praefuerunt explicantur; nam opiniones ipsae philosophorum non attinguntur. Haec opera novum argumentum viris doctis aperire coepit, quod quale esset, antea magis obscure suspicabantur, quam perspiciebant. Docetur enim non privatam et fortuitam Athenis fuisse philosophorum congressionem, sed quae a privata sane liberalitate atque admiratione profecta esset scholarum institutio, eam paulatim, cum publica utilitas cognosceretur, ita esse confirmatam, ut ab nostrarum academiarum similitudine non multum abesset. Quod autem Zumptius de Atheniensi philosophia meruit, optandum est ut alii de Romana, de Alexandrina, de aliis litterarum sedibus mereantur, qua ratione non parva veterum studiorum pars nondum satis cognita illustretur. Ultimae ex hoc genere fuerunt tres commentationes de legibus iudiciisque repetundarum in republica Romana, editae anno 1845. et 1847. Earum priores duae libertatis tempora comprehendunt, tertia ad imperatorum aetatem pertinet. Quod argumentum quantum ad universam iudiciorum Romanorum rationem cognoscendam conferat, qui peritus est reipublicae Romanae intelligit; repetundarum enim crimen cum sub imperatoribus pateret late principemque locum certe apud bonos imperatores obtineret, quamdiu libera fuit civitas, patuit latissime, maximas potentissimorum hominum calamitates effecit, maxima patronorum ingenia exercuit. Quare operae pretium erat etiam secundum praeclaras et philologorum et Ictorum disputationes, quibus nostra imprimis aetas aucta est, tantam rem singillatim persequi. Accedit quod illae praecipue in veteris libertatis temporibus versatae sunt, imperatorum,

non dico posteriorum, a quibus omnis iudiciorum ratio mutata est, sed superiorum, qui speciem libertatis retinuerunt, instituta minus curanda esse putarunt. Quare tertia imprimis commentatio sequitur multa et nova et utilissima. Nec vero reliquae duae non habent quo litteras nostras adiuvent imprimisque magni faciendum quod series et quasi successio legum de repetundis latarum patefacta est, quae dum explicatur, celeberrimum legis fragmentum, quod Serviliae nomine usurpari consueverat, demonstratum est potius esse Aciliae. Quod quidem ita esse debuit persuadere Zumptius omnibus neque ulla amplius tolerari dubitatio, quae sicubi relicta erit, ipso tempore certissime evanescet.

Omnium autem harum de quibus diximus commentationum, etsi singulae fere habent singula quibus excellant, communes tamen sunt quaedam non parvae virtutes exemplaque possunt esse similium quaestionum instituendarum. Earum virtutum maxime apparet luculenta brevitas, ad id quod agitur directa omnemque supervacaneum apparatum studiosissime fugiens, quae quidem tanta est ut ad ipsam orationem conformandam valeat eamque ab inutili copia prohibeat. Nascitur inde singularis quaedam ipsarum rerum perspicuitas, ut quid voluerit, ac quale quidque esse existimarit, nusquam sit dubium. Huc cum accedat accurata antiquitatis scientia, completum videtur esse quod in quaerendo potest postulari. Quae scientia si absit, fiat ut quo quisque minus antiquitatem cognorit, eo dissimiliorem vero, dum clare quod sentit exprimere studet, imaginem reddat expertique sumus his temporibus ad quantos errores quidam hac via deducti sint. Quamquam malim mehercule viros doctos perspicuitatis studio longe aberrare quam obscuris et parum expressis contentos propius videri ad id quod verum est accedere; illud enim cum appareat quo ferat, facilius fere cavetur et aliquantum reliquis affert utilitatis, hoc incautiores homines capit. In Zumptio quidem quae fuerit universae antiquitatis Romanae cognitio, saepe admiratus sum. Qui campus cum tam late pateat tamque multa habeat nondum satis a

viris doctis explorata, illud quidem iniquum sit postulari a quoquam ut quid quoque loco verum sit sciat; quae autem res potest praestari, ut quid possit esse verum, quid a similitudine veri discrepet, magis sensu quodam quam certis explicatisque causis percipiat, ea summa fuit in Zumptio. Cui cum nos in rebus longe ab eius studio dissitis quid verum esse videretur proponeremus, aliud negare solebat posse esse verum, aliud videri probabile, quo iudicio tamquam norma aliqua, ad quam omnis quaestio regeretur, utendum esse reperiebamus. Itaque ipsi eius errores (neque enim quisquam non aberrat aliquando a vero) habent magnam utilitatem, qui ubi convincuntur, significare debent, esse in iis quae adhibuerit quiddam quo recte offendare. Fuit enim hoc proprium eius quaestionum ut proficisceretur omnino ab accurata veterum auctorum interpretatione, in qua cum propter perfectam illam quam attulerat Latinitatis scientiam plus soleret videre quam alii, fiebat ut ad veriora deveniret. Nam quod rectissime solet a quibusdam praecipi nisi penitus percepta linguarum veterum cognitione ad antiquitatis quae proprie dicitur studium non esse aggrediendum, id aliis viris summis ratione ac consilio, huic etiam fortunae beneficio contigerat, quae ipso muneris, quod tuendum esset, officio primum ad grammaticam, tum ad res populi Romani cognoscendas detulit. Ideoque consentaneum erat ut hanc auctorum fidem semel inventam constantissime teneret nec pravam illorum criticam imitaretur, qui suis opinionibus elati eos, quibus insistere debent, contemnunt. Scio quam lubricus sit locus quem attigi. Est enim dubitatio etiam cognoscendi initium imprimisque in historia Romana ad veteres sordes redire videantur qui omnia credunt omnibus. Sed interest inter ea quae auctores tamquam certa tradunt et inter ea quae quamvis fortasse ipsi credant, fabulis vel incertis testibus niti confitentur. In illis non perniciosa solum, verum etiam odiosa est illorum vanitas, qui ut ipsi sapiant, veteres peccasse statuunt, quorum temeritate nunc in antiquitate pleni sunt loci plurimi. Quo vitio si laboraret Zumptii vel doctrina

vel ingenium, appareret id in tribus commentatiunculis, quae et in rebus obscurissimis versantur nec tam proprie in usum virorum doctorum quam delectationis causa scriptae sunt. Nam quas de domo Romana et de religione Romanorum edidit anno 1844. et 1845. recitationes in coetu hominum elegantium habitas, eae argumenta habent varia ac difficilia, quae ille ita persecutus est ut et hominibus ab antiquitate alienioribus iisdemque eius studiosis prorsus satisfaceret, nec doctis non praeberet aliquid quo in tanta rerum obscuritate animos dirigerent imprimisque ea, quae est de domo Romana quaedam incertissima, velut de atrio, breviter sed luculente explanat, de quibus qui documenta desiderabit, et occasionem scriptionis excusabit et plus cogitatum ac quaesitum quam scriptum atque expositum esse considerabit. Tertia commentatiuncula est de iure civitatis Romanae, lecta in congressu philologorum Germanicorum Darmstadiensi anno 1846., quae cum sit ex intima antiquitatis scientia et praeclara quaedam ac nova de legibus et poenis Romanorum comprehendat, non debuit tamen non eruditionis speciem vitare.

Atque hinc aptissime transitus fiet ad aliud genus scriptionum, in quod Zumptius semper magna cum industria, aliquando plus quam reliquis eius operibus expediret, incubuit. Qui quoniam non sua modo peculiaria studia persequebatur, sed quicquid omnino in litteris nostris elaborabatur, cognoscebat, ipso naturae impetu ad relationes illas de libris recentibus scribendas ferebatur, quibus magna pars ephemeridum nostrarum doctarum compleri solet. Iam adolescens, quemadmodum fit ut prius de alienis iudicemus quam ipsi aliquid elaboremus, ad illud studium delatus innotuit viro de litteris nostris bene merito ac tum prope in una hac re occupato, Eichstadio Ienensi, qui actis Ienensibus praeerat, a quo invitatus de plurimis libris referre solebat. Multa eum ex eo genere scripsisse accepimus, quaedam etiam ita ut haud dubie virorum doctorum assensum moveret; sed ipsa eius vestigia persequi difficile est, quia nomen fere non subscribebat; sparsit etiam compluria per similes ephemerides. Certus autem ac magnus campus ei

apertus est constitutis annalibus criticis Berolinensibus, quibus regendis cum aliis nonnullis viris doctis ita praefuit, ut ipse Latinarum litterarum provinciam tueretur. Itaque ab anno 1827. vix ullum prodiit maius de Latinis affinibusque litteris opus, de quo ille non aut ipse referret aut per amicos referendum curaret, atque etiam post extinctos annales Berolinenses, apud quos ad extremum permansit, passim per alias ephemerides de libris recens editis scribebat. Possum praestantissima aetatis nostrae opera afferre, quorum ille laudator ac commendator extiterit; sed quia eum illi tempori quo referebat iisque apud quos referebat, non omnibus aut temporibus aut lectoribus scripsisse video, tacebo. Rationem enim referendi sequebatur eam, quam naturae talium actorum accommodatissimam esse intelligeret, quae alioquin cum ipsius ingenio optime conveniebat. Breviter exposita studiorum de quibus agebatur condicione, quid libri cuiusque auctor voluisset, quid praestitisset indicabat paucisque exemplis positis probabat. Ab infinita enim illa longitudine, qua quidam referendi occasione usi egredi suaque exponere solent, abhorrebat animadvertique eum paulatim cum quantopere ita ephemeridum usui noceretur et res per se ipsa esset non probanda, in eum modum coartari, ut demi nihil liceat. Quamquam relationes Zumptianae abundant hercle non iudicii modo sanitate verum etiam copia doctrinae multaque, quae pluribus postea aut persecutus est aut persequi statuerat, alienorum operum occasione data primum prolata esse invenio. Unum autem maxime est quod semper in hoc genere praecipue admirati simus. Zumptius enim cum ita assuesset criticae factitandae eique quod verum est persequendo, ut vix ullum legeret paulo maiorem librum, de quo non aut publice aut privatim in schedis suis referret, de qua eius consuetudine infra plura dicenda erunt, tamen et naturae quadam bonitate et ratione lenitatem tantam iudicandi induerat, ut ab omni morositate et acerbitate reprehendendi abesset longissime. Sunt enim quidam homines sane utiles, sed parum iucundi, qui cum iudicis personam subierint, tamquam condemnandi causa constituti sint, religioni sibi ha-

beant laudare, vel si quid cogantur laudare, laudi ita misceant reprehensionem, ut illa prematur, haec eluceat. Non loquor de iniustis iudicibus, sed de viris bonis, qui pravitate ingenii adducti quicquid minus perfectum est irascuntur nec diligenter ponderatis vitiis ac virtutibus, ubi illa superare vident, tum demum ad vituperandum accedunt. Ex qua ratione multas nasci oportet multorum inimicitias oriturque eorum sententia, qui ne offendant, de nullo libro referre volunt, ut ipsi effugiant sane molestiam, litteris autem quod commodum sine dubio ex relationibus rectis et iustis parari potest, detrahant. At Zumptio dubito num ullae hinc inimicitiae extiterint. Etsi enim fere ingratum est quicquid vituperatur, si simul appareat bona laudandi voluntas, non modo reprehensio ipsa utilis fit, verum tempore etiam offensio perit. Neque omnino Zumptius graves cum viris doctis habuit dissensiones, quales saepe incidere solent. Iniuste in eum impetum fecit Ramshornius Alteburgensis, qui invidia quadam mercenaria ductus, ut suam grammaticam Latinam commendaret, illius grammaticam per multas ephemerides accusare instituerat; fecit etiam G. L. Walchius Gryphiswaldiensis, non privata causa motus, sed litterarum ut opinabatur patrocinio suscepto, qui cum veteris critices exercendae artifex sibi eximius esse videretur, Curtiani operis restitutionem acerba reprehensione ultus est; fecerunt etiam alii quidam nec saepe nec multi. Ex quibus ille uni respondit Ramshornio graviter, sed semel; neque enim hominem, quem ab omni critica ratione alienissimum esse cognosset, pluris faciendum esse putabat, reliquos contempsit et contempsit recte, qui si ultione digni habiti essent, nunc non sua laude, sed illius reprehensione cognoscerentur.

Nec vero omittendum est hoc loco, quod cum multum contulerit ad studia Zumptii adiuvanda, tum ad ingenium formandum valuit plurimum. Quoniam enim in maximis occupationibus, quae non animum modo, verum etiam corpus fatigarent, versari solebat, etsi bona fere utebatur valetudine, necessario tamen faciendum esse videbat ut, quotiens feriae vacatioque operis concedebatur, peregrinatione aliqua reficere-

tur. Quam ne sine fructu suscepisse videretur, sic instituebat ut, corpus dum recreat, simul scientiam augeret. Ac quamdiu scholasticae vitae finibus continebatur, cum breve feriarum tempus conceditur, solebat per patriam nostram excurrere, non tam ut urbes locaque videret eorumque amoenitate delectaretur, quo genere apud nos magnam hominum partem nimium duci saepe querebatur, verum ut hominum mores et imprimis virorum doctorum ingenia cognosceret, tractandisque de communium litterarum studio sermonibus adiuvaretur. Idque adeo in eius natura situm erat, ut et in illa peregrinatione, quam primam ex domo patria ad academiam Heidelbergensem suscepit, ad quoscunque viros doctos aditus dabatur, accederet, quid agerent, quaereret, se suasque res commendaret, et eandem commilitonum salutandorum consuetudinem usque ad extremum teneret, quare pauci omnino per patriam nostram erant paulo doctiores, cum quibus non aliquo necessitudinis vinculo coniungeretur. Post, ubi in academia longiorum feriarum usus patebat, longius excurrebat quotannis, in Galliam, in Angliam, ad Batavos, quorum vetusta doctrina neque imminuto litterarum antiquarum studio imprimis delectabatur. In Italia fuit bis, primum anno 1831., tum anno 1842. Eo eundi consilium cepit praecipue, ut terram hominesque, in quorum historia omnis vita sua occuparetur, cognoscendo sensum quasi antiquitatis acueret. Scio equidem et fuisse olim et esse summos in litteris nostris viros, qui cum ea loca, quorum rebus explicandis excellerent, nunquam vidissent, studio solo ac doctrina tantam eorum tamquam familiaritatem contraxissent, ut plurimos superarent; item multos video fuisse, qui locorum cognitione confisi studia prope contemnerent eoque non modo in vanitatem quandam, verum in magnos saepe errores deducerentur. Atque hi quidem quantopere sint reprehendendi, facile apparet; studia enim sunt pro certissimo fundamento, quod nisi ita esset, et desperandum prope esset nobis ab veteris humanitatis sede longe dissitis nec ita accidere posset ut plurimas antiquitatis partes rectius perspiceremus quam ipsi Italiae Graeciaeve incolae. Illos ego soleo maxime

admirari quantum sola mentis intentione assecuti sint; qui tamen si oculorum intuitum ad scientiam assumere voluissent, dubitandum est an quaedam verius intelligere potuerint: adeo omnis scientia humana errori subiecta est. Erat igitur quod Zumptius Italiam visere cuperet. Accedebat, cum primum eo adiit, ut Lagomarsinianas Ciceronis collationes Romae asservatas aliosque Italicarum bibliothecarum thesauros consulere vellet, quod consilium tanta assiduitate et fide executus est, ut valetudini non mediocre damnum afferret. Febri enim temptatus non destitit, ut post longam demum moram et aegre, postquam domum rediit, convalesceret. Nec vero deterritus est quin anno 1835. simili de causa Graeciam peragraret, quod regnum tum recens erat constitutum magnosque cum aliorum tum doctorum virorum amores incendit. Quo in itinere in idem mortis periculum incidit, quo non multo post cum summo omnium nostrum luctu C. O. Muellerus, vir ingeniosissimus, periit. Annus erat Athenis pestilentissimus febrisque quae in Zumptium invasit tanta vis, ut, postquam diu frustra ea liberari studuit, vix compos mentis in navem delatus diligentissima medici cura servaretur, reliquias autem morbi diu traheret. Horum itinerum monumenta publice edita extant paucissima. Nam etsi saepe adhortabantur amici ut quae cognovisset et vidisset, quae solebat domum reversus diligenter perscribere, typis describenda curaret, ipse ea erat modestia, ut de se tacendum esse statueret, quae autem de litteris nostris didicisset, ea per alios libros passim spargenda esse putaret. Nonnulla tamen recitavit in societatibus eruditis Berolinensibus, quae cum plena sint non oblectationis, sed studiorum, expediet fortasse aliquando edi; itineris Graeci aliquam partem amico in acta quaedam de elegantibus litteris et artibus inserendam concessit.

Haec egerat, dum valetudo erat firma corpusque studiis atque animo multa et magna molienti sufficiebat. Ac familiares quidem, qui olim gracili figura ac debilem fuisse meminissent, mirabantur robur virile tamque validum corpus esse arbitrabantur, ut etiam in tantis quos suscipiebat laboribus

tolerari posset, cum iam versabatur intus vis mali, qua paulatim consumptus est. Cuius quae origo fuerit non comperimus, sed natum esse suspicamur in ipsa adolescentia, cum imperite curatus pro parvo, quo temptabatur, morbo magnum et invictum contraxit, nutritum deinde febribus, quibus per iter Italicum prius et Graecum decubuit, auctum denique ingenti studiorum assiduitate, cum multiplex docendi onus sustinens noctes soleret cum diebus continuare, ut otium suppeteret. Parum enim ipse curabat valetudinem, quam cum ex longo tempore firmam habuisset, nullo labore infringi posse putabat, spernebatque et suorum preces et amicorum consilia ut parceret corpori quietemque sibi concederet frustra rogantium: quibus ille partim necessitatem suam excusabat, partim tolerabilia esse quae vituperarent, partim non laborem, sed delectationem a se suscipi respondebat. Cuius rei si ille poenas dedit, queremur communem hominum sortem, quorum natura ita comparata sit ut corpus cum animo dissidere soleat: in quibus illud vincat, eos fere intelligemus etsi diu vixerint nihil relinquere quo posterorum memoriae commendentur, in quibus animus superet, et magnos et luctu dignissimos esse videbimus. Erumpere quidem coeperunt mali indicia aestate anni 1844., cum maximo per hiemem cum scholarum tum imprimis studiorum tolerato onere fatigatus esse videbatur otioque recreandus; ipse quia eundem morbi fontem esse opinabatur, aquarum usu, quem usque ad illud tempus contempserat, restitui vires ratus ad aquas Mattiacas per ferias aestivas migravit iucundissimeque per amoenissima loca peracto auctumno domum rediit sic affectus et animo et corpore, ut non curatus sibi quidem, at sublevatus esse videretur malumque repetitis illis aquis sublatum iri confideret. Quare cum negotiorum nihil intermitteret, hieme rursus aucti intestinorum dolores, quibus cruciabatur, accessit etiam quae maxime angeret primum alterius, tum utriusque oculi debilitatio. Qua etsi patientiae suae periculum fieri sentiebat, medicorum tamen ope liberari se posse sperabat. Versari tunc statuerat in Curtio iterum edendo, quae opera per se minus grata magnopere hoc

malo aucta est; sed peregit tamen solus, ut raro et modo in molestioribus quibusdam negotiis, quae magnam scribendi diligentiam requirerent, aliena manu uteretur. Quam ubi anni 1846. aestate absolutam operis describendam permisit simulque minora quaedam dudum inchoata perfecit, tamquam potissima vitae negotia peracta essent, subito et dolores ingravescere et oculorum lux imminui coepit. Antea ex solita vitae consuetudine perpauca mutarat, amicorum coetus non minus frequenter, sed paulo fortasse prudentius obierat, quieti corporis paulo plus dederat; interfuerat congressui philologorum Darmstadiensi, item Dresdensi, cum multas familiaritates veteres renovatas, multas novas initas esse narrabat nec quicquam tunc ex consueta eius comitate aut ingenii studiorumque ardore desideratum esse arbitror. Post, quoniam medicorum ars nihil auxilii ferebat nec ferre poterat, aliud sibi vitae genus ineundum esse videbat, ut corpori paulatim primas, animo secundas tribueret. Studiorum vero amor ipso illo tempore magis incensus est, ac tamquam vitae quae superesset diligenter rationem duci oporteret, vix ullum tempus ab audiendo vel dictando vacuum relinquebat; inter ipsas etiam coenas amicorumque salutationes, ne quid periret temporis, pergere iubebat recitantem. Nimirum ad alienos ille oculos et manus confugere coactus erat, ut suorum oculorum defectum suppleret, qui vix iam ad pauca necessaria negotia sufficerent: quare adolescens a manu erat, antiquarum litterarum peritus, qui quae ad studia pertinebant legeret aut scriberet; reliquum tempus filiarum minima, quae sola tunc domi erat, explebat. Neque ullo eum tempore magis admiratus sum. Honestam enim habuisset excusationem vel firma valetudine ab labore paululum remittendi; iustissima vero erat tantorum dolorum causa, qui vix summa constantia tolerarentur. Est etiam philologorum peculiaris quaedam ratio, ab aliis multis viris doctis diversa. His licet sola mentis cogitatione studia sua persequi atque in quibusdam doctrinae generibus ipsa oculorum debilitatio quia colligit animum et ab rerum externarum confusione prohibet, intendere videtur ingenii vim, quemadmodum claris-

simos poëtas accepimus fuisse coecos; aliorum certe non tota ars ex visu apta est. At philologum, qui nisi multa legat, multa conferat, nihil recte possit administrare, quis oculorum usu orbatum credat litteris suis posse operam dare? Ac detrusus esset necessario ad intolerabilem sibi inertiam Zumptius, nisi et multiplicem ac promptam scientiam firmissima memoria tenuisset et libros suos ac quo quidque loco si opus esset inveniretur, indicare scribenti potuisset. Multa igitur per illud morbi molestissimi tempus dictare solebat et Germanice et Latine, ut praefationes editionum Curtii, ut alia, quae vel de libris quos legerat referebat vel de antiquitatis Romanae partibus quibusdam exponebat. Imprimis autem providendum esse existimabat ut, si spes de oculorum lucis reditu sese fefellisset, tamen haberet quo et suum otium expleret et arti suae consuleret. Cogitabat igitur de antiquitatibus Romanis populari oratione exponendis, ut per occasionem fabulae alicuius vel epistolarum a viris doctis per Italiam peregrinantibus scriptarum praecipuos antiquitatis Romanae locos illustraret. Valere enim sese sentiebat tantum et ingenio, ut argumentum fabulae non modo per se iucundum, sed etiam ad rem aptum inveniret, et doctrina, ut inventum iis quae explicare vellet ornaret. Hoc consilium extremis vitae annis plurimum agitabat animo; nam scriptum de eo reliquit nihil. Etenim antequam aggrederetur, continua scriptorum veterum lectione memoriam reficiendam antiquitatemque ipsam quasi imbibendam esse videbat. Qua in re, ut consueverat omnino ad eruditionis amplificationem utilitatis rationem adiungere, aliud simul sequebatur, quo tironum usui consuleret. Adierat enim ad eum Germaniam peragrans redemptor librarius Edinburgensis, W. Chambers, vir artis suae peritissimus propagandarumque litterarum cupidissimus. Qui cum varia de iis quae ageret narraret, invitare coepit ut optimorum scriptorum Latinorum iuventuti erudiendae aptorum editiones susciperet sibique in Britannia Anglice describendas traderet. Res non videbatur contemnenda; saepe enim Zumptius questus erat multa, quae imprimis de Livio, de Horatio, de Tacito aliisque scriptoribus

commentatus esset, iacere nec publice proponi; sed defuerat et occasio et otium, nescierat etiam quam viam ingrederetur, quia nec vulgarium illarum quae in tironum usum fiunt editionum numerum augere volebat et eas, quae cum eruditione suscipiuntur, parum cupide expeti videbat. Tum accedebat otii honeste explendi ratio, quam in dies sibi difficiliorem fieri intelligebat, accedebat consilii quod modo exposuimus persequendi cupiditas, accedebat denique illud quod reputabat, quantam res habitura esset utilitatem ad litteras nostras eruditionemque Germanorum per exteros propagandas. Quare alacriter accepta condicione socius asciscitur Leonh. Schmitzius, de quo ante dictum est, qui in Britannia rem gerat, consiliumque rei administrandae constituitur. Id erat tale, quale Britanniae redemptorisque rationes postulabant, a nostra consuetudine paululum abhorrens. Nam teneri omnino necesse erat illos fines, qui saepe apud nos confunduntur, et scholae et adolescentulorum, tum hoc prospiciendum ut editiones essent parvo pretio parabiles, qua sola re effici poterat ut fugatis veteribus libris ad minus rectam rationem institutis novi propagarentur. Expulsa igitur est omnis disputatio critica, quae cum insueta sit omnibus prope Anglis, tum pueris intolerabilis, sed verba scriptorum quam maxime fieri potuit emendata, sed oratio grammatice illustrata, sed res breviter explicatae, quam eandem prope rationem cum maxime multis editionibus scholasticis proponi videmus. Iam cum augerentur dolores visusque prope totus deficeret, habebat Zumptius, quo iucundissime atque utilissime occuparetur. Quid enim ipsi gratius esse poterat, quam praestantissimorum scriptorum, quibus inde ab pueritia delectatus esset, lectionem repetere atque in media antiquitate versari? Quid litteris ipsis salubrius, quam virum eruditissimum consummata artis suae scientia, seiunctum ab externarum rerum confusione solique mentis agitationi intentum quid de humanitatis optimae monumentis sentiret depromere? Sedebat ille fere, recitabat adolescens a manu constitutus verba scriptoris; ille sequebatur recitantem tacitus, ubi

offendebat subsistere iubebat, ut aut interpretes aliive libri consulerentur, aut ipse si res videretur esse certa, notam dictaret. Sic lente procedebatur; tum absoluto opere complectens quae vel ipse animo observarat vel ex pristina lectione meminerat vel notari iusserat, de vita atque ingenio scriptoris quae editioni praemitterentur dictabat. Hac ratione duos scriptores illustravit commentariis et utilibus et admodum iucundis, Sallustium, qui prodiit anno 1848., et Livii libros quattuor; nam plures redemptor veritus ne volumen nimis augeretur admitti nolebat. Curtii etiam editionem minorem scholasticam modo in Germania descriptam paucis vel adiectis vel mutatis Anglice repetendam curaverat, postquam impetravit ut elegantissimus scriptor, qui illic fere ab scholastica institutione exularet, in ordinem reciperetur. Denique aggressus est ad Horatium, in cuius primis carminibus defecit.

Nimirum frustra repetiverat aquas Mattiacas, frustra altera aestate per silvae Hercyniae delicias aëris salubritate usus erat, frustra aquas Carolinas Bohemiae adierat, quibus quidam morbum radicitus evelli posse dixerant. Vis mali interim augebatur, ut remitteret tamen aliquando spatiaque intercederent libera ab doloribus, per quae ad veteres amicorum coetus redire veteremque vitae consuetudinem usurpare liceret. Addebat etiam ea res animos, ut bene de valetudine sua speraret paucorumque annorum molestia delectabiliorem vitam redimi posse existimaret; sufficiebant enim corporis vires, quae admodum tarde et ut ipse quidem nihil sentiret attererentur. Unum illud cruciabat quod studia retardabat oculorum defectus; sed huic quoque rei medicorum arte opem ferri posse putans dies mensesque numerabat, cum redituram sibi lucem speraret, ceterum subveniebat huic infirmitati quam poterat optime. Vehementer ille quidem motus est ingentium rerum minis, quae anno 1848. rempublicam nostram concusserunt, quae cum in apertam seditionem erumperent, memini quantopere perturbatus sit. Cum enim ab omni temeritate abhorreret, tum tanto incensus erat patriae amore, ut turpitudinem

illarum turbarum vix ferret nec dubium est quin hinc orta animi aegritudo etiam mali intus saevientis vim auxerit. Inter haec advenit a. d. XIII Kal. April. anni 1849., quo die natalicia sua festo amicorum conventu lautioreque convivio celebrare consueverat et cum satis commode, ut tunc esse poterat, valeret, eo minus huius diei hilaritatem praetermittendam esse iudicavit, quod anno proximo antecedenti quod institutum erat convivium, seditione Berolinensi prope discussum erat. Convenerunt igitur familiares, male illi quidem suspicantes, quod graviter eum aegrotare nossent, sed excepti sunt hilari non modo animo verum etiam vultu pertulitque salutandi ac gratulandi laborem spe facilius; sermones etiam per convivium fuerunt iucundi, quibus ipse cessit nemini, ut prorsus bonae spei pleni atque optime augurantes amici discederent. Atque hic illi dies ultimus vere delectabilis contigit, nam quae supererant etsi animum non fregerunt, corpus tamen ita vexarunt, ut tristissimam sui memoriam reliquerint. Vix enim discesserant sodales, cum tamquam exhaustis viribus in lectulo repositus ingentem morbi impetum sustinuit, quem aegre post paucos dies vicit. Tum recreatus aliqua dolorum intermissione rediit ad solita munera audiendi et dictandi, tantum adeo valuit, ut rogatus a nescio quo apud universitatem candidati alicuius publice examinandi onus subiret et supra omnium expectationem fortiter perageret. Inde nova spes addita, quam qui cum eo fuimus, scimus imminutam esse nonnunquam, totam ab eo discessisse nunquam. Acceperat enim de aliis, qui diu doloribus fatigati valetudinem recuperassent, cognoverat aliquos ipse, qui toleratis similibus morbis convaluissent, denique si non pristinum robur redderetur, at mediocrem corporis vim recipi posse sperabat. Neque liberi et uxor aut tantam vim esse mali quanta erat, aut periculum tam prope imminere suspicabantur monebantque ut aquarum Carolinarum salubritatem repetendo sibi consuleret. Id cum pridem ipse concupisset, tunc tanta vehementia petebat ut medicus cedendum esse ratus, ubi primum per tempestatem liceret, proficisci iuberet. Abiit igitur, quo non rediturus erat, a patria sede,

exeunte mense Maio, satis firmus etiamtunc corpore, animo quidem sic paratus, ut post usum aquarum illarum totam aestatem peregrinando consumere statueret. Atque iter quidem non fortius iniit quam pertulit; nam Halae Saxonum, ubi biduum substitit, iucundissimorum familiarium consuetudine delectatus est sermonesque plurimos de studiis instituit et referens, quid ipse sibi proposuisset et quae alii agitarent accipiens, ut illi qui corpus eius prope deficere animadverterent ac vererentur, ut itineris molestiam toleraret, animi tamen magnitudinem invictam admirarentur. At ubi ad aquas, quas dixi, pervenit, vel quia vires imminutae erant vel quia quietem sibi expedire putabat, vix semel iterumque cubiculo egressus est; mane relicto lectulo aliqua ambulatione utebatur, plerumque ad fenestram sedens laetis hominum coetibus delectabatur; accepit etiam familiarium paucorum salutationes, cum quibus fere in pristinorum studiorum memoriam redibat, cum iuvenili ardore incensus litteris operam dederat, aut de itineribus suis confabulabatur. Imprimis autem nihil ei dulcius erat suorum epistolis, quas ubi peregrinabatur semper poscebat et longas et frequentes, tunc exclusus ab studiis anxie expectabat. Neque ipse respondendo deerat; multa enim dictabat, cum de aliis rebus tum, quod maxime ab omnibus expeti sciebat, de valetudine sua: refici videri corpus, non poenitere sese quantum recrearetur, placere sibi aquas locorumque amoenitatem; addebat etiam admonitiones, ut suo casu edocti dum liceret corpori consulerent. Sic praeterierat maior pars mensis Iunii, ipsi quidem satis iucunde; videbatur enim valetudinem paulatim emendare neque medici expedire putabant naturam mali quo laborabat ostendendo spem omnem adimere. Solito autem iucundior fuerat dies a. d. VIII Kal. Iul.; adierat visendi causa post prandium familiaris quidam vetustissima consuetudine cum illo coniunctus, sermones fuerant et cum hoc et cum suis hilares, pleni caritatis, pleni consiliorum ac spei. Tum tempestive in lectum sese recepit noctemque satis quiete nec moleste transegit. Mane postridie eius diei expergefactus circa horam sextam ubi aquam bibendam sumpsit, quasi ad dor-

miendum sese composuit. Discessit igitur ab lecto quae cum eo erat uxor fidelissima, ne dormire cupientem interpellaret, ille ut corpus composuerat, sine ulla doloris significatione neque ulla omnino voce edita subito nervorum defectu extinctus est. Neque uxor animam excessisse sensit, adeo corpus nihil ex solito aspectu mutatum dormientis speciem praebebat; ipsi nos cum divinatione quadam mala ut aegrotantem consolaremur domo exciti ad aquas Carolinas properassemus, ubi tribus fere horis post advenimus iussique leniter ingredi ad lectum accessimus, quid accidisset cognovimus. Iacet corpus in coemeterio Aquensi ornaturque sepulchrum brevi nominis inscriptione.

Graviter permoveri nos sentimus, cum ad exitum viri desideratissimi pervenimus, ut cupiamus omnino desinere neque ultra, quam ipsius vita orationem regere potuit, progredi. Sed faciendum necessario, qui de studiis narraverimus, ut de animo moribusque quaedam addamus, in quibus non dubitamus, quin offensionem negligentiae vitare atque effugere non possimus. Multi enim amicorum consuetudine cum eo coniuncti ita dicent: de illo nihil dixit, quod ego expertus sum, illam virtutem non attigit, quae mihi semper summa admiratione digna esse visa est, cuius ego plurima documenta habui. His me vehementer excusatum volo, non negligentia mea fore, ut multa praeteream, sed quod alia ab hac, cui studia maxime proposita sint, scriptione alieniora esse iudicem, multa autem propter rationem brevitatis praetermittenda existimem. Infinita enim cum sit de quolibet homine dicendi copia, eius, cuius propter multiplicem virorum doctorum usum nulla prope res in obscuro versari potuit, si pauca praecipua adumbrandae quasi imaginis causa dixerimus, satis munere nostro functi esse videbimur. Quamquam quae disputationi nostrae obesse debet studiorum ac celebritatis ratio, eadem quodammodo subvenit, siquidem quales illius mores fuerint, potest ex iis ipsis quae de studiis eius narravimus, magna ex parte intelligi. Fingi enim solet animus studiis et qua quisque in re elaborarit, ea nescio quomodo fit ut conformetur paulatim eius voluntas ac

natura. Non dico de reliquorum hominum studiis atque artibus, in quibus quanta vis sit ad ingenium fingendum apparet, sed de nostris litteris, ex quibus cui quisque maxime generi operam dederit ex animo moribusque videatur discerni posse, num criticam potissimum artem exercuerit, num huic vel illi scriptori et quomodo studuerit. Exempla eius rei afferre fortasse et difficile sit nec offensione aliqua careat; res quidem ipsa certissima. Quoniam enim eo quisque melior interpres futurus est, quo magis se in eius quem interpretatur animum ac sensus quasi insinuaverit, si diuturna ea studia fuerint, necessario prope accidet, ut paulatim ex eo, cui operam dat, ducat aliquid, quod ipsius animum conformet. Iam Zumptium ab ineunte aetate nihil fuerat quod moveret praeter antiquitatis studia optimorumque scriptorum interpretationem, in quae ita incubuit, ut non unam aliquam particulam ceteris neglectis excoleret, sed universa quatenus fieri licet complecteretur. Profectus enim a Graecis litteris in Romanis postea constitit, sed illas animo nequaquam dimisit, deinde in ipsis Romanis egressus a grammatica ratione assumpsit historicam, tum antiquitatis universae cognitionem. Similiterque cum initio puerulorum erudiendorum causa litteras tractasset, paulatim ad adolescentes ac iuvenes, postremo eo pervenit, ut non docendi sed sua causa coleret; quare nulla omnino studiorum nostrorum pars est, ex qua ad ingenium formandum profici possit, quam non attigerit, cognoverit, retinuerit. Unde admirabilis quaedam extitit animi eius temperatio et aequabilis. Neque dubium est quin antiquarum litterarum studia reliquis aptiora sint ad ingenium humanum excolendum, ut non magis propter historiae quendam casum quam ex naturae ipsius necessitate humanitatis studia appellata esse videri debeant. Ipse quidem cum nequaquam alios contemnere aut sua extollere consuesset, quo magis animi humani naturam perspiceret, eo magis sibi dicebat persuaderi inventionem quidem ex eaque aptas litteras et artes proficisci a divina ingenii vi extra hominum potestatem sita, reliquarum autem disciplinarum, quae communi cum antiquitatis studio fonte atque origine deducerentur, hoc longe

esse praestantissimum atque homine dignissimum. Itaque in arte sua sic versabatur, ut extra eam nihil ne voluptatis quidem expetendum esse putaret. Saepe enim confessus est, nulla re animum suum magis gaudere quam docta aliqua disputatione recte quidem et cum fructu instituta. In morbis ac cum corporis valetudo reficienda esse videbatur, raro ex fabulis similibusque libris legendis recreationem petebat, vel si quando petebat, ad suae artis regulas revocando inveniebat; in itineribus quidem scio eum plerumque, nisi quid aliud usus ferret, Ciceronis vel Horatii vel Martialis exemplum secum habere eoque quicquid superesset otii conferre consuevisse. Sermonesque ipsos maxime probabat de doctrina vel de doctis hominibus, quorum vitam moresque magna cupiditate cognoscebat. Quo in genere quia et praestantissimi sunt et proxime ad nostram aetatem accedunt, imprimis Batavorum philologorum, quibus saeculum superius ornatur, rebus delectabatur, quas cum aspectu ipse cognosset, memini quanto opere omnibus commendare solitus sit. Rursus autem ex his Dav. Ruhnkenii elegantissimum ingenium maxime admirabatur, quem tanti faciebat, ut ei facie similem se videri non invitus a multis audiret. Ac praeter hoc artis suae animique eius ope emendandi studium quid aliud impelleret ut tanta assiduitate, tanta reliquarum rerum contemptione in litteras incumberet? Nam externa industriae praemia, honores opes gratiam, in aliis vitae generibus ampliora proponi videbat neque unquam quaerebat. Famam vero ac gloriam, quae quibusdam minus recte ex litterarum potissimum laude videtur peti posse. ita aspernabatur, ut eius causa laborandum esse negaret. Etenim sponte sua eam consequi, ab iis autem qui cupide venentur fere recedere, deinde esse plerumque aptam ex fortuna neque hominum potestati subiectam. Quid enim? Qui rex sit magni ac potentis imperii, eum esse clarum, quamvis sit homo ad nullam rem idoneus, nullius operae, nullius negotii, at qui ingenio sint altissimo et amplissimo, plurimos ex tenebris atque humilitate non emergere, iisdemque studiis eundem hominem hac aetate celebrari, illa contemni. Sic casu ac

tempore regi famae, laudis, gloriae rationem. Tum ipsam illam famam, si qua contigerit, in hominibus doctis fere eo pertinere, ut eorum nomen in aliquo librorum catalogo legatur, opera in bibliotheca lateant, et ex eo esse genere, quod quamvis ad posteros docendos atque erudiendos valeat, cum iis qui celebrentur non coniunctum sit. Sic cum sentiret Zumptius, quid erat quod eum ad studia doctrinamque impelleret? Nimirum hoc, quod summi viri propositum esse statuunt omnibus hominibus, ut ingenium a deo datum excoleret. Quare incredibile prope est, quanto studio et quam assidua sui ipsius emendatione elaborarit, ut eas quas probaret virtutes assequeretur. Neque enim fortuito talis extitit qualis fuit nec solo naturae beneficio, quae quamvis bona contigisset, confirmata tamen est consilio ac voluntate. Id quale fuerit perspicitur ex commentariis quos reliquit. Eorum habere solebat duo genera; unum instituebat ad marginem nostrorum calendariorum, ubi paucis notabat et quid ipse egisset et quid omnino memorabile accidisset. Invenitur igitur in his annalibus vitae Zumptianae et de studiis, quando et quomodo quemque librum inceperit vel finiverit, quando munera susceperit vel deposuerit, et de rebus domesticis quodcunque notabile videbatur, et de coetibus ac conviviis quibus interfuit, et de mortibus ac casibus vel amicorum vel virorum clarorum, denique quicquid unquam eum paulo magis moverat, ut in hac quasi tabula totam eius vitam singillatim ex temporis ordine digestam persequi liceat. De morbo adeo suo eiusque decursu ipsis extremis vitae diebus, cum oculi deficerent, quaedam dictavit, metuens opinor, ne haec sibi postea ex memoria exciderent. Alterorum vero commentariorum etiam memorabilius est volumen, in quo de libris a se lectis referebat, dicta factaque insignia commemorabat, omnia quae calendarii illius margo non caperet perscribebat. Sed quod proprie huc pertinet, in utroque genere etiam de moribus suis dicebat. Nam in priore ad singulorum annorum initia notabat consilia sua, quae cum plerumque ad litteras et ad studia aut ad alias res externas referantur, saepe tamen ea sunt, unde cum de cognitione atque

emendatione sui multum laborasse intelligas; in plenioribus autem illis multa omnino sunt ex hac ratione, cum vel irascitur sibi, quod hoc vel illo modo egerit, vel exponit quid deinde secuturus sit, vel deliberat quid maxime deceat, vel in aliis quae vitia animadverterit persequitur, ut prorsus cum haec legerem tantam quae in illo fuit morum praestantiam animique constantiam ipsi magis quam naturae eius tribuendam esse perspicerem.

Etenim ut paucas ex illius virtutibus singillatim commemorem, haec prae ceteris praedicanda est constantia, quae quanta in illo fuerit, vel ex iis quae modo dixi cognoscitur; consuetudinem enim illam de se ipso commentandi coeptam ab vigesimo quarto aetatis anno, ex quo familiae praefuit, ita ad extremum tenuit, ut nullum sit intervallum, nullum tempus quo ab proposito desciverit, nullum quo ad id redierit. Atque idem ex libris eius intelligi licet. Documento est imprimis Curtiana opera, inchoata ab adolescente, quam cum necessariis de causis coactus esset interim intra minorem illam quae primum prodiit editionem continere nec vereretur, ne quis iisdem praesidiis instructus rem susciperet, non omisit animo, sed multis annis post improbissimo labore tolerato ad sua ipsius verba refingenda atque amplificanda eaque quae sibi ipsi dudum absolverat tandem publice proponenda accessit. Idem prope evenit et in Ciceronis orationibus Verrinis edendis, quas ab ineunte aetate perpetuo studio tractavit, et in plurimis eius commentationibus, ad quas non forte fortuna delatus, sed iudicio ac voluntate electas post multa studia aggressus est. Quare nihil eum arbitror ex tot consiliis, quae agitarat, relicturum fuisse, si quantum multis hominibus conceditur, tantum ipsi vitae spatium in eaque extrema paulo plenius otium contigisset. Eaque constantia vicit ipsam naturam suam, quae paulo erat vehementior. In iuventute enim paulo facilius commovebatur, ut irasceretur, ut corrigeret, ut aliorum non modo vitia, sed infirmitatem non toleraret, ut denique quicquid minus recte fieret iniquius ferret ac quam sibi ipse agendi et vivendi regulam posuisset, eandem in reliquis requireret. Haec

ubi non dedecere modo, sed inutilia etiam esse intellexit, vicit consilio tantumque profecit, ut quae aliena proprie a natura fuerant, in naturam verteret. Neminem illo cognovi leniorem in iudicando, placabiliorem, aequabiliorem, faciliorem in iis quae nisi aequo animo ferre discas, societas humana non consistat. Quodsi quo tempore naturalis illa vehementia erupisset (neque enim non effugimus aliquando rationis voluntatisque vincula), non perstabat in perversitate, sed cito poenitere sese significabat cum verbis tum re. Vicit eadem constantia, ut cum natura ab rerum externarum prudentia alienior esse videretur, insignem dexteritatem et ad usum aptam scientiam assequeretur. Eius rei documentum supra allatum est, ubi de initiis disciplinae eius scholasticae disputavimus, quam meditatione talem factam esse diximus qualis fuit; eiusdem in aliis rebus plurimis extiterunt argumenta haud dubia et in libris quos scripsit, quos eximia quadam utilitate commendari omnes consentiunt, et in reliqua vita. In qua si quid concupierat, quod sibi assequendum esse statuisset (atque ea erat animi integritate, ut nihil aut stulti aut quod adipisci nequiret sibi proponeret), primum meditando quae in eo essent difficultates et quo pacto eae superari possent inveniebat, ac tam accurate explicabat, ut vel scribendo quid de quaque re sentiret exponeret, tum quae invenerat strenue ac constanter sequendo aberrare non potuit. Quare cum in adolescentia, quia ex domo parum locupleti profectus erat plurimumque temporis solitudini ac studiis tribuerat, timidior fuisset hominumque sane imperitus, naturam suam magna cura exercuit, ut quae in ea bona hercle semina practicae quam appellant scientiae invenisset produceret ac confirmaret.

Coniuncta autem cum hac, de qua diximus, constantia fuit alia et praeclara virtus religiositatis et officii, quae tanta in eo erat, ut cum per extremos vitae dies pauca de se dictaret, hanc maxime naturae suae propriam esse iudicaret. Ea duos habebat fontes, unum ingenii alterum sapientiae. Innatum enim ei quasi erat et a patre traditum, ut quicquid sibi iniunctum esset muneris, id tamquam a deo ipso fidei

suae commissum tueretur cupiditatesque omnes quae evagarentur coerceret. Tacebo hoc loco, quod huic rei affine est, quid de dei cultu fideique Christianae veritate senserit; etenim hoc, etsi multam magnamque laudem admittit, tamen et ita fuit ipsius proprium, ut divulgari non opus sit, et certe ab hac scriptione alienum esse debet. Quamquam illud commemoro, cum a matre pia ac religiosa, quam summa cum caritate revereretur, magna cura educatus esset ac postea theologiae studiis multum temporis tribuisset, nunquam haec prorsus ex animo esse dimissa, unde et praecipuos eius generis libros perlustrare solebat et cum suis saepe ac libenter de his rebus confabulabatur ac quid sentiret liberrime, sed modeste ac verecunde docebat; imprimis autem sic sibi persuasum esse dicebat, sine certis iisque ex divina fide repetitis formis ac regulis vitam humanam nullo modo regi posse. Veruntamen haec praeteribimus; illa enim, quam dicimus, officii religiositas iam ineunte aetate in eo ita confirmata erat, ut hoc freno non amplius egeret. Quam ubi coluit aliquamdiu, intellexit quod officio imperaretur idem conducere maxime. Tenebat enim quod Io. Matth. Gesnerum, magnum philologum eundemque virum prudentissimum, dicere solitum esse accepimus, natura omnes res humanas ita esse inter se connexas ac copulatas, ut si quis unam bene gessisset sponte ad alteram maiorem traduceretur, qui minorem negligeret maioris assequendae causa, ei fidem haberi nullo modo posse, narrabatque hoc maxime vitio plurimos hoc tempore laborare, quod eos, intra quos positi essent, fines egressi aliena agerent, unde fieri, ut neque ea quae deberent satis tuerentur, neque in alienis, quibus non omne tempus tribui posset, proficerent. Itaque ipse quamdiu in scholasticis muneribus erat, cum suppetente otio ad litteras et studia magna cupiditate ferretur, nihil tamen egit, nisi unde ad scholas suas utilitas aliqua redundaret; ubi academiae adiunctus est, huic, quantum reliquorum eius munerum ratio patiebatur, totum sese tradidit, quae virtus quomodo omnium prope eius librorum et causa et occasio extiterit indicavimus. Ac quod publice praestitit

officium, idem privatim explevit, siquidem ut tardior erat et cunctantior ad promittendum, ita certus in faciendo fidemque semel datam servabat sanctissime. Velut cum compluribus redemptoribus librariis res contraxit de iis negotiis, quae ipsi certe magna viderentur, sed cum nullo, etsi nunquam litteris consignavit condiciones poenisque propositis fidem devinxit, ad querelas et expostulationes et lites pervenit. Adeo quae in ipso erat religiositas efficiebat ut nec ipse unquam iniusta postularet et alii quae cum eo pepigissent, servarent.

Quare quid miramur, insignem in eo fuisse pietatem? quam sitam in natura sua excoluit voluntate ac consilio, ut quid cuique deberetur, diligenter ratione inita exquireret. Neminem ab eo scio unquam aut verbo aut re laesum esse, a quo beneficium accepisset, neminem cui gratia referenda esse videretur. Eandemque pietatem exhibuit publice cum per totam vitam tum ultimis annis, cum regem eiusque ministros omnis generis insidiis peti videret. Quo tempore tanta erat animorum concitatio cupiditatesque omnes adeo incensae, ut admodum paucos meminerim non esse aliqua ex parte motos, etiam bonos alioquin homines, qui tamen reipublicae imperiti non ea eventura esse existimarent quae evenerunt. A quorum ille sententia, etsi causa irascendi quae esset videbat, vehementer tamen dissidere solebat cum prudentia et futurarum rerum divinatione ductus, tum pietate, quam ulla ratione violari nefas esse putabat. Quamquam minime hercle eum videri velim fuisse inimicum honestae libertati aut alienum ab republica iisque quae in ea vitiosa essent corrigendis. Sed primum cavendum esse dicebat, ne legibus illis sublatis, quibus cupiditates hominum coërcentur, quae leges fere molestissimae solent et esse et videri, ea libertas introduceretur, quae non modo respublicas, verum homines ipsos pessumdaret, quae quanto detrimento veteribus populis fuisset, praestantissima disputatione exposuerat. Deinde omnem veram ac salutarem emendationem non subito, sed paulatim fieri nec vetera unquam nisi novorum periculo facto abiicienda esse didicerat vel ex suis ipsius quamvis parvis rebus, imprimis ex grammaticae

suae amplificatione, in quam novi nihil recipiebat nisi diligentissime cognitum et examinatum idque ipsum ad vetera accommodatum. Fuit item in reliqua vita eorum quae semel probasset admodum retinens, ut nihil temere mutaret, nullum instrumentum cui assueverat facile abiiceret, vetera omnia quam maxime fieri poterat conservaret. Velut (licet enim ex parvis rebus magnae virtutis significationem petere) saepe iocans dicebat singulis se calamis singulos libros perscripsisse. Itaque domesticae vitae consuetudinem in adolescentia prope institutam tenuit perpetuo ac vix ipso morbo adductus est ut paululum mutaret. Dormiebat ad horam sextam, nisi qua necessitas maturius surgere iuberet, scholas academicas habebat plerumque ab hora octava, rarius ab septima; nam quod aliquando ceperat consilium horis pomeridianis utendi mox improbavit. Sequebantur una vel etiam altera hora interiecta, quam meditatione explebat, lectiones historicae in academia militari habendae, quas ante prandium absolvebat. A prandio residens in lectulo dum legebat brevem et salutarem somnum invitabat, quo et corpus ab labore scholarum reficiebatur et animus intervallo quodam ab negotiis seiunctus ad studia acuebatur. Nam quod deinceps usque ad horam nonam erat, dabat totum studiis, nisi aut ab salutantibus interpellaretur aut ad negotia avocaretur aut denique aestate modica ambulatione uteretur. Coena sumpta invitus ad studendum redibat idque cum saepius necesse esset et molestum sibi et perniciosum esse querebatur; plerumque suorum sermonibus se dabat vel unum et alterum familiarium admittebat. Neque quicquam memini suavius fuisse his sermonibus vespertinis, cum circumdatus suorum circulo et ipse de iis quae egisset, audisset, cogitasset liberrime disputabat et alios disputantes audiebat, ut saepe post mediam noctem discederetur. In quibus sermonibus elucebat imprimis singularis quaedam animi lenitas ac mansuetudo, non nata paulatim ab lentitudine aliqua aut iniuriarum excipiendarum consuetudine, a qua aberat longissime, sed ingenita in ipsa natura. Quis enim credat hominem omnium prope quos novi gravissimum cum tragoediam

audiret aut fabulam narrationemve tristiorem, ita moveri esse solitum, ut lacrimas non teneret animique dolorem invitus proderet? Ipse quidem cum nimiam aegritudinem non minus quam voluptatem dedecere existimaret, temperabat sibi consilio raroque et apud eos, qui caritate intima coniuncti erant, vinci se patiebatur, unde fiebat, ut quibusdam, qui externam modo speciem sequerentur, asperior nonnunquam et durior esse videretur et quam superandae naturae causa maiorem severitatem induisset, ea ex natura repeteretur. Quare cum animum haberet lenem et ad omnes affectus facilem eundemque consilio ac constantia ab omni libidine prohiberet, utrum pronior an aptior ad amicitias iungendas fuerit difficile est dictu. Non loquor de vulgaribus familiaritatibus, sine quibus nemo recte vivere potest. His ille plurimis utebatur. Omnium enim erat hominum, neminem ab aditu suo ac sermone deterrebat. Si quis erat eruditus, eum doctrinae copia ac varietate litterarumque amore capiebat, si quis quaestui commerciove deditus, eum non aegre ferebat de suis rebus disputare, unde quantulum ipsius intererat sumebat tantumque aberat ab omni arrogantia ac fastidio, ut nec intempestive accedentibus irasceretur nec unquam de aliis detrahendi causa male loqueretur, sed ultro sese summitteret atque ipsos adolescentes et tirones facile pateretur iisque sese interrogandum praeberet. Ut personae vel res vel tempus postulabat, ita iucunde ac commode sermocinabatur. Quare coetuum festorum ac conviviorum erat cupidissimus non tam ad oblectationem quam ad utilitatem; siquidem omnium hominum esse iudicabat excoli velle ingenium suum aliorum hominum consuetudine, eorumque intuendis virtutibus et excitari et emendari. Epulas reliquumque apparatum pro simplicitate victus, cui assueverat, parvi omnino faciebat vel eatenus probabat, quatenus externum decus servarent congrediendique occasionem praeberent; sermones ipsos tamquam vere φιλόλογος sequebatur. Eruditarum quidem sodalitatum, quae plurimae in urbe nostra sunt, prope omnium fuit socius, quas, quantum maximae occupationes patiebantur, et frequentabat libentissime

et ex studiis suis adiuvabat. Nulla vero aeque delectabatur atque ea quae Graeca appellatur, in qua semel per hebdomadem cum paucis viris doctis scriptorem aliquem veterem, maxime Graecum, interpretabantur, a qua rarissime et fere necessaria de causa aberat. Inter tot autem familiares si quem repererat, cum quo mores et ingenium convenirent, cum eo artius verae amicitiae vinculum iungebat. Supra cum de prima eius aetate narrabamus, quantopere puerum moverit amicitia diximus idque fere fit in hominibus, sed in illo hoc fuit singulare, quod etiam postquam adolescentiae fervor subsedit, alios in idem ius ascivit. Fuerunt ii necessario perpauci, quorum maiorem partem nunc mors absumpsit, sed his nihil prope erat quod non tribuendum esse putaret. Raro apud nos et inter homines prudentiores fit, ut casus insoliti talis amicitiae periculum fieri iubeant, sed si qui aut inciderunt aut incidissent (neque enim scio), quin ille omnia verae amicitiae officia aut praestiterit aut praestaturus fuerit non dubito.

Ac cum inter familiares talis fuerit Zumptius, qualem fuisse putabimus inter suos, quos non magis caritate quam naturae necessitate secum coniunctos esse videbat, ut ad voluntatem accederet officium? Decet sane de his tacere, praesertim cum ipsi ex eo numero simus; sed saepe illum meminimus dicere esse solitum, omnium curarum ac sollicitudinum perfugium esse domum ac familiam; inde requiem ex labore, inde doloris solatium, inde studiorum alacritatem esse petendam. Itaque cum uxore, quam duxit viginti quattuor annorum adolescens, Albertinam Wideburgiam, medici Silesiensis filiam, vixit concordissime et amantissime, filias tres singulari caritate amplectebatur, ut earum causa omnia facere paratus esset, quas quod commode collocatas reliquit ex iisque neptes et nepotes suscepit, si mortem praesensisset, in magna felicitatis suae parte posuisset.

Ille vero abiit, quo tota eius vita spectaverat, quo ingenium tetenderat, quo ipse studia ac mores accommodaverat; perfruetur illius animus, corporis vinculis solutus, iis

bonis, quae in rebus humanis expetiverat ipsamque divinam veritatem et perfectionem nullis tenebris aut erroribus caecatam intuebitur. Felix ille hic fuit, si quicquam in voluntate felicitatis est, felix certe nunc erit, iis si quae ex terrena faece adhaerentia voluntatem optimam impediverunt, liberatus. Neque nos infelices et brevi ab illo spatio seiuncti et aeternam illius imaginem memoria animoque amplexi. Quicquid enim ex Zumptio amavimus, quicquid admirati sumus, manet mansurumque est, cuius doctrinam humanitatis historia perpetuo honore illustrabit, mores quotquot cognovimus carissima recordatione recolemus. Have, pia anima, nosque ad imitationem tuarum virtutum incende.

CAR. TIM. ZUMPTII
ORATIO DE MARTINO LUTHERO, SCHOLARUM IN GERMANIA CONDITORE ET EMENDATORE.*)

Non eram nescius, auditores ornatissimi, cum mihi a collegis honestissimis mandaretur, ut hodierno die verba facerem quantum mihi oneris imponeretur. Dicendum enim est de Martino Luthero, religionis ac litterarum in his terris vindice, de quo viro nemo vestrum est, qui non a primis inde annis tam multa cognoverit, ut difficile sit, quicquam novi proferre; dicendum est hoc ipso die, quo post tot orationes auditas et vero etiam habitas, benivolentia erga hanc scholam adducti, convenistis, ut paene postremo loco nos memoriam illius temporis celebrantes audiretis; dicendum denique est oratione Latina, cuius ea est iniqua condicio, ut nisi omnibus perfecta numeris ad aures accidat, statim ieiuna habeatur; quandoquidem

*) Ne quis me forte putet gloriolae cuiusdam quaerendae causa, vel quod domi continere non didicissem, quaecunque occasione aliqua oblata scripsissem, hanc orationem edendam curasse, vere profitebor hoc loco, me paene renitentem hoc voluntati viri meritissimi, qui huic nostrae scholae praeest, et veteri cuidam instituto scholastico dedisse, ut quod ad illum exoptatissimum diem celebrandum scripsissem, typothetis traderem. Accedebat etiam haec causa, quod non inutile videbatur, adolescentes disciplinae nostrae commissos, qui illo die propter loci angustiam arcendi potius nobis erant quam advocandi, habere quod ipsorum quoque causa scriptum recitatumque esset. Alioqui poteram atque adeo debebam fortasse nonnulla hic illic refingere: dies enim diem docet, ac multa interea, quibus tum carebam, mihi innotuerunt, quibus hortulum meum irrigare possem: quod non feci inter has muneris scholastici iucundas sane at maximas occupationes, sed sicut tum, cum omnes festinabamus, scripsi, ita in hoc libello typis excudendum curabo. (Habita est oratio nonis Novembr. anni 1817., cum in gymnasio Fridericiano Lutheri memoria celebraretur, edita iam anno 1818. in programmate gymnasii.)

haec est multorum opinio. Latine dicendo nihil quaeri, nisi inanem aurium delectationem et verborum formularumque dicendi bene sonantem compositionem. Itaque facile huius muneris difficultatem defugissem, nisi et vestra mihi humanitas dudum cognita esset, et meorum collegarum honestissimae voluntati deesse turpe videretur, qui ob nullam aliam causam Latine me dicere vellent, nisi ut in memoria immortalium illorum virorum celebranda eadem oratione haec omnia personarent, quam illi tantopere iuventuti excolendam statuissent, neve nos ab illorum antiquissimis institutis degenerasse videremur. Ac per deum immortalem, quis est, qui de Lutheri laudibus dicens non eloquens fiat, quamvis alioquin infans sit? cuius viri ingenio tanta omnium rerum subito facta est commutatio, ut sive de religione, sive de reipublicae condicione, sive de litteris dicere velis, non possis non insigni rerum verborumque copia abundare.

Ac mihi circumspicienti, quam rem in hoc ornatissimo conventu mihi tractandam sumerem, nihil muneri meo atque huic ipsi loco aptius visum est, quam ut breviter ac dilucide de re scholastica dicerem, quae et ipsa per illos restitutae religionis Christianae auctores insigniter commutata est. Neque sane vereor, ne cui forte vestrum minus dignum argumentum ad concelebrandam Lutheri memoriam elegisse videar, cum omnes consentiant, nullam rem esse, quae bene maleve instituta tantos tamque insignes in utramque partem eventus habeat. Hic enim omnium litterarum iaciuntur fundamenta, hinc inventa virorum in unaquaque arte praestantium propagantur ac disseminantur, hinc magna ex parte repetendum, quicquid ex illo tempore in rebus divinis humanisque cognoscendis profecimus. Quodsi hanc laudem scholarum institutarum Lutheri propriam esse vindicarimus, quid est quod praeter illam amplissimam laudem reductae veritatis Christianae maius atque amplius de viro immortali praedicari possit? Haec igitur prima pars orationis nostrae erit: tum breviter ostendemus, quales Lutherus atque eius socii scholas esse voluerint, quaque disciplina iuvenes regendos putaverint.

Sed mihi quidem, quotiens de institutis emendatisque studiis scholasticis cogito, obversari nonnullorum videntur sermones, ita fere dicentium: Quid tandem? Vosne etiam hanc laudem Luthero vestro vindicabitis, non contenti amplissima illius viri gloria? Videte, ne immemores ingratique sitis erga eos viros, qui iam fere centum, certe quinquaginta annis ante Lutherum in Italia litterarum studia ita emendarunt, ut iam nemo doctus haberetur, nisi qui illic praestantissimos humanitatis auctores Graecos Romanosque cognovisset. Illis igitur viris et his, qui in Germania illorum exempla secuti sunt, Rudolpho Agricolae, Reuchlino, Erasmo, meritam gratiam habete,

novumque ingeniorum cultum ascribite! A quo iudicio ita dissentio, auditores, ut existimem, quamvis magna illorum virorum merita de universa ingeniorum nostrorum cultura sint, eruditionem tamen scholasticam unice reformatoribus ascribendam esse, neque unquam bonas litteras in Germania tam altas radices agere potuisse, nisi Lutherum, Melanthonem, ceteros patronos nactae essent.

Constat enim per longum seculorum tractum novam religionis lucem antecedentium nullas scholas fuisse nisi in aedibus monachorum, (praeter paucas, quae in urbibus a scholasticis illiberali mercede conductis regebantur,) omnemque disciplinam adolescentium in eo constitisse, ut legendi scribendique artem, atque initia linguae Latinae perciperent. Sed cuius, quaeso, linguae Latinae? Illi enim magistri procul aberat ut scriptores Romanos discipulis praelegerent et recte cogitandi dicendique inde praecepta ducerent; quod cum plerisque nefas videretur, libellos quosdam barbare ac ieiune conscriptos, ex quibus neque sermo rectus et elegans, neque res bonae, sed Latina vocabula peterentur, discipulis describendos atque ediscendos dederunt. Ex his tenebris si qui forte ad medicorum ac iureconsultorum scholas delati essent, aut theologiae operam daturi ad seminaria episcoporum et philosophorum auditoria demigrassent, quo tandem illic successu graviores artes didicisse putatis? Illi quidem admirabilem certe solertiam in explicandis iuris Romani ac philosophiae Aristotelicae nodis posuerunt, sed irritos plerumque hominum ingeniosorum conatus ignorantia sermonis reddidit, neque subactum ingenium iis artibus, quibus iuventus a teneris exerceri debet. In quo misereri profecto licet illorum hominum, qui acumen ingenii consumerent in extricandis reconditissimis philosophiae locis, neque tamen ipsos huius doctrinae fontes adire possent, sed de libellis barbare conscriptis ita disputarent, ut maiores sibi ipsi tenebras offunderent.

Sed ortum est tandem aliquando, centum fere annis ante Lutherum, illud salutiferum sidus veteris doctrinae, cum Graeci e patria fugientes vetere hospitio Italiae excipiebantur, memoriamque litterarum diu latentium renovabant. Tum etiam scriptores Romani situ tenebrisque liberabantur, et quasi quadam salutari aura afflati certatim summi viri novum eruditionis fontem appetebant. O iucundissimum illud spectaculum neque satis unquam nostris iuvenibus proponendum, cum viri ex remotissimis orbis terrarum partibus longinqua itinera suscipiebant, ut sitim eruditionis restinguerent, et in patriam reversi facem liberalis doctrinae accenderent!

Sed per deum immortalem, quem tandem fructum ex hac laetissima segete ad scholas, praesertim Germaniae, putatis redundasse?

Mihi quidem errare videntur, si qui ex illorum nominum claritate de litteris ubique cultis coniecturam faciant. Illa enim studia in aedibus principum ac nobilium tractabantur, aliqua etiam ex his fontibus hauriendi facultas in universitatibus dabatur, sacerdotibus vero illis ac monachis, qui scholas regebant, invisa erat haec ratio: veteres scriptores Romani longe arcebantur, et Graecorum vix apud nos vestigia quaedam deprehendebantur. Quid igitur dicimus futurum fuisse, nisi Lutheri divinum ingenium subito hasce tenebras discussisset? Num desperamus, lucem litterarum aliquando quidquid obstaret superare potuisse? Non erat illud quidem desperandum, auditores humanissimi, crescebat enim quotannis copia virorum doctrina ac pietate praestantium, florebant etiam aliquot scholae in Germania inferiore, ubi pius ille senex Thomas a Kempis idem facem elegantioris doctrinae praetulerat, fortasse ipsae litterae temporum decursu satis per se valebant, ut debitum honorem recuperarent.

Sed cur tandem excogitamus, quid fieri potuerit, quoniam Lutherum videmus in media Germania exortum, qui, cum fortiter dei cultum superstitionibus liberaret, et grave vetustarum opinionum imperium frangeret, totumque ecclesiasticum ordinem monasteriis deletis cum vita communi coniungeret, hac ipsa re scholarum institutum refecit et recreavit! Haec enim est una causa duorum ordinum etiam ceteris in rebus coniunctissimorum, ut ne divina veritas humana auctoritate constringatur, neve illi, qui ceteris viam ad veram libertatem ostendere debeant, ipsi servire et alienis rationibus obedire cogantur. Itaque etiamsi nullam huius rei propriam curam gessisset Lutherus, hoc ipso tamen praeclaro opere religionis redintegratae etiam scholasticae disciplinae novam lucem dedisse iudicaretur. Sed nequaquam in eo constitit immortalis viri industria. Nam et ipse et socii illius operis, recte intelligentes hoc esse totius vitae fundamentum, cum coenobiis desertis etiam scholae deessent, primum auctores fuerunt principibus, ut ne illa bona dissiparentur, sed partim ecclesiis servarentur, partim scholis restituendis adhiberentur. tum in hoc maxime elaborabant, ut principes magistratusque civitatum docerent, quanta scholarum dignitas esset, et quam bene de religione deque vita communi mererentur, si omnem curam diligentiamque adhiberent, ut novae scholae conderentur, et docti homines iis praeficerentur.

Horum praeceptorum et cetera Lutheri scripta plena sunt, et singulares extant libelli, cohortatio illa ad omnium civitatum magistratus, ut scholas instituere velint, ac nobilis oratio, accuratissime scripta de liberis in scholas mittendis.

Neque vero hac insigni laude fraudandi sunt ceteri defensores

fidei nostrae, imprimis Melanthon, iure communis Germaniae nostrae praeceptor appellatus, quippe qui hanc peculiarem laudem ceteris suis virtutibus adiunxerit, quod ipse Vitebergae plurimos iuvenes Graecis Latinisque litteris erudivit, qui postea novis scholis praeficerentur. Ac per deum immortalem, nunquam tanta, tam praeclara ingeniorum coniunctio visa est! cui nulla ratione felicissimus eventus deesse potuit. Nam vere hoc confirmare possumus, ex illo tempore usque ad finem seculi sexti decimi multo maximam partem earum scholarum, quae nunc in Germania florent, conditam esse, et habuisse moderatores quantos viros! Iam vellem mihi temporis angustia permitteret, ut vobis in memoriam omnes revocare possem. Ipsa tantum lumina nominare longum est, Trozendorfium Goldbergae in Silesia, qui gloriabatur, se ex suis discipulis iustum adversus Turcas exercitum conscribere posse (tot apud eum Poloni et Ungari studebant), Rivium et Georg. Fabricium Misniae, Basilium Fabrum, conditorem illius thesauri Latinitatis, Erfordiae, Michaelem Neandrum Ilefeldae, Hieronymum Wolfium Augustae Vindelicorum, Glandorpium in Westphalia, quibus adiicere licet Camerarium, omnium celeberrimum et plurimarum scholarum parentem: qui omnes Vitebergae in familiaritate Lutheri et Melanthonis versati erant. Ipsa vero Saxonia praecipue horum laborum fructum percepit, quae quia tunc omnibus Germaniae terris in illa laude praecurrerat, per tria continua secula insigni doctissimorum hominum copia abundavit.

Iam cum satis, opinor, demonstratum sit, Lutherum non iniuria scholarum in Germania conditorem vocari, quippe cuius ingenio etiam ceteri reformatores excitati et mirifice adiuti sint: videamus, si placet, auditores ornatissimi, quibus illi studiis adolescentes in his scholis exerceri voluerint. Neque tamen hoc loco de scholis oppidanorum et rusticorum dico, quarum uti necessitas et dignitas sane maxima est, ita ratio disciplinae simplicior invenitur; in quibus si pueri expedite legere, scribere, numeris uti didicerint, et capita religionis Christianae perceperint, aequi iudices facile acquiescunt.

Sed de scholis maioribus saepe dubitatum et summa contentione certatum est, cum nonnulli putarent, antiquitatis cognitionem minus esse utilem, neque tantis opibus expetendam: a quorum sententia mirum quantum abhorruit Lutherus, qui haec studia una cum religionis veritate cadere et promoveri diceret, qui infantes appellaret, si qui priorum temporum accurata cognitione carerent, qui denique in veteribus linguis discendis omne tempus adolescentibus ponendum iudicaret. Sed videte in hac ipsa re hominis sapientiam! Cum intelligeret, grammaticae studium non sufficere ad liberalem eruditionem, ipsos scriptores veteres Romanos praelegi discipulis iussit, ut

inde praecepta eloquentiae et memoria rerum gestarum ducerentur, id quod nusquam ad id tempus factum erat, nisi in academiis, ac ne in illis quidem satis constanter. Itaque scholis eiecit insanos illos libellos, quos ipse vocat, Catholicon, Floristam, Graecistam, Labyrinthum, Dormi secure, ceterosque eius generis, in quibus ediscendis antea labor viginti saepe annorum consumeretur, contra in ipsis praestantissimis humanitatis auctoribus mature pueros exerceri volebat.

Iam accessit lingua Graeca, inusitata illa quidem et plane segregata a curriculo studiorum iuvenilium. Sed Lutherus ipse in interpretandis sacris libris intellexerat, quanti facienda esset illius linguae cognitio, et Melanthon, cum eam Vitebergae doceret, omnium studia cum ipsius linguae perfectione, tum scriptorum Graecorum praestantia excitaverat. Itaque etiam haec tum primum in scholas introducta est, et brevi tempore ita effloruit, ut, paene dicam, nullo tempore plures Graece doctissimi patriam nostram ornaverint. Non dico de aliis, quorum memoriae libentissime immorarer, si tempus suppeteret, sed nemini vestrum sunt incognita nomina Neandri, Camerarii, Hieronymi Wolfii, Rhodomanni, quorum vix similes posterior aetas tulit. Quorum quisque cum innumeros discipulos haberet, celeriter litterae per totam Germaniam divulgatae sunt, longe aliter atque in ceteris terris, ubi eadem studia exercebantur quidem a compluribus eruditis, sed e scholis exclusa vita et sanguine carebant.

Etiam Hebraica lingua, quam olim ne doctissimi quidem theologi cognoverant, aditum in scholas invenit et sedulo colebatur, tum quidem propter eximium usum, qui inde ad sacras litteras intelligendas redundaret, sed postea intellectum est, quantum fructum etiam ceteri omnes ad Orientis cognitionem ex hac quasi praeparatione capere possent.

Itaque campus, in quo puerorum et iuvenum industria excurreret et exerceretur, eximie dilatatus erat, suppetebat insignis praestantissimarum rerum copia et varietas, qua discentium animi excolerentur, sed deerat tamen commune harum disciplinarum vinculum, historia, quippe cuius officium sit, ut dispersas rerum notiones colligat, et remotissimorum temporum memoriam cum nostra aetate coniungat. Sed videamus, ne simus iniusti, qui postulemus aliquid, quod ne in ipsis quidem tunc academiis maturioribus enarraretur! Sed quid multa? Etiam huius disciplinae tum primum necessitas intelligebatur, ac statim ipsi principes rem aggressi sunt, Melanthon et Sleidanus, historicorum illius aetatis excellentissimus, quorum alter Carionis Chronicon auxit et correxit, alter utilissimum historiae conspectum in usum scholarum scripsit, quo duce adolescentes per illum labyrinthum diversissimarum rerum certo itinere proficiscerentur.

Iam nihil, auditores humanissimi, in hoc curriculo communium studiorum deesse videtur. Quid enim est, quod desideretur, si quis adolescens in religione Christiana bene institutus, veterum linguarum et praestantium scriptorum cognitione instructus, intellecta priorum aetatum historia, in academias demigraverit, certo cuidam studiorum generi operam daturus? Tamen deesse aliquid negare non debemus! Neque enim nostri sermonis patrii leges et rectum usum perceperat, nondum mathematicis artibus ingenium exercuerat! Hoc vero nostrae aetati relictum erat! Nobis igitur elaborandum est, ut et illius disciplinae praestantiam retineamus, et huius aetatis iustissimo desiderio satisfaciamus. Lutherum certe omni culpa eius rei vacare omnes intelligimus, cui non solum illud cordi fuit, sed qui longius etiam vidit, et aliquid postulavit, quod ne nunc quidem vulgo institutum est, ut in quavis schola libri colligerentur, ex quibus cum discipuli tum vero etiam magistri discerent. Quod quam necesse sit, ex illarum scholarum misera condicione apparet, quae in oppidis minus frequentibus conditae nulla re aeque laborant, atque librorum penuria, ita ut hic ordo, quem pauperrimum omnium esse constat, saepe in solitudine quadam destitutus esse videatur.

Omnino vero, ut me non fingere quae velim intelligatis, veniam mihi date, auditores humanissimi, ut vobis particulam quandam ex illius maximi nostri patroni scriptis praelegam. Verecundia enim me subiit, cum de loco latine vertendo cogitabam. Omnibus enim scriptus est, recitetur ergo quasi testimonium quoddam in iudiciis.

(Omisi illos locos huc transscribere, cum quod facile in eosdem incidere puto, quibus haec res cordi est, tum quod melius legi possunt a iunioribus in editione Lomleri, quae cum nuper prodierit, in manibus plurimorum versatur, versari certe debet. Conferant imprimis part. I. 382. 386 sq. part. II. p. 374 sq.)

Superest, auditores ornatissimi, ut videamus, numquae commutatio in moribus adolescentium regendis inducta sit ab his nostris et religionis et scholarum emendatoribus. At eam dico maximam fuisse. Nam antea iuventus academica (sit venia verbo) in collegiis seminariisque continebatur: tum illis libera vivendi ac studendi potestas data est. De qua re nihil addo, cum facile appareat, hoc discrimen nostrarum et veterum universitatum, quod etiamnunc apud catholicos plerumque servatur, omnium esse gravissimum. Nostra porro haec iuventus scholastica tota erat magistris demandata. Ne hoc quidem vere. Nulla est enim morum melior disciplina, quam cura et indulgentia parentum. At vero etiam apud nos nonnullae scholae ita instituebantur, ut adolescentes procul a domo paterna et educarentur et erudirentur. Sed animadvertite hoc discrimen: nam cum maturiores tantummodo reciperentur, nostri maiores ita sibi persuaserant,

iuventutem, quae diligenter litteris operam daret, et hoc unum agere cogeretur, et modo ab illecebris vitiorum defenderetur, sibi ipsam satis tuto posse committi. Nam illa superstitiosa cura, quae hodie in plerisque catholicorum scholis adhibetur, saltem simulatur, magis etiam incendit alumnos, ut leges clam violare conentur, quam ut honeste vivere discant.

Neque vero haec res parvi momenti ad omnes litteras est. Nam cum sexaginta fere annis post reformationem Iesuitarum ordo efflo-resceret, et laudabili cura patrocinium scholarum susciperet, easque nostro potissimum exemplo institueret: hac sola in re vetus institutum diligentissime servarunt, ut omni modo caverent, ne quid discipuli cogitarent, et auribus oculisque acciperent, quod fidei catholicae contrarium esset. Numquid eos magnopere hac cura profecisse existimatis? Illud quidem assecuti sunt, ut regnum vetustarum opinionum servarent ac tuerentur, sed num melius moratos cives, num homines liberaliter eruditos reddiderunt, num litteris hac disciplina profuerunt? Tantum abest, ut hoc assecuti sint, ut ne illud quidem, quod tantopere studebant, diutius retinere potuerint. Itaque iure laudabimus maiores nostros, qui liberaliter liberos habendos esse iudicarent.

Iam vero, si totam illam aetatem in universum contemplamur, quis est, auditores ornatissimi, qui non hoc facile agnoverit, nunquam Germaniam maiore floruisse multitudine virorum, in omnibus litterarum et reipublicae partibus excellentium, quam medio illo sexto decimo seculo. Nulla enim erat ars, nulla disciplina, cui non plurimi simul optimo successu operam darent, atque illo tempore hoc assecuti eramus, ut Germania magistra ceterarum nationum et esset et appellaretur. Cuius rei praecipuam quandam causam esse scholarum una cum veritate Christiana restitutionem nemo nostrum dubitabit, qui de sequentis seculi misera facie cogitaverit. Nam cum inter turbas belli tricennalis omnes scholae, praecipue evangelicorum, desererentur ac diruerentur, ut in ipsis illis scholis Saxonicis, a Mauritio magnifice exornatis, vix decem discipuli alerentur, ubi olim ducenti amplius fuissent, cum praeterea funesta opinio mentes theologorum invasisset, non opus esse, ut litteris ethnicis opera insumeretur, quoniam sacros libros haberemus, cum ita denique omnes opinarentur, grammaticae studium inutile esse, realia, uti vocabant, esse discenda, cum ludi magistrorum nomina in ridiculum et contemptum abissent: tum celeriter novam ingruere barbariem videmus, vixdum satis adulta prioris aetatis segete. Iterum scriptores veteres scholis eiiciebantur, Melanthonis, Erasmi, Lipsii libelli, boni illi quidem, sed huic instituto minime apti, praelegebantur, Graeci prorsus in obli-

vionem abierant. Quid vultis amplius? Omnia prioris seculi instituta perversa sunt. Tum vero senserunt omnes litterae, sensit ipsa patria, contempta a peregrinis, quantopere haec studia iuventutis cum universa vita cohaererent, novo tandem opus erat Luthero, qui cum theologia, male contentionibus lacerata, etiam rem scholasticam collapsam restitueret. Qui quidem non extitit, sed longo errore ac malis edocti tandem ad veram rationem reversi intelleximus, a liberali iuventutis institutione incipiendum esse, si quid reipublicae, si quid divinis humanisque litteris consultum vellemus.

ORATIO IN VIGINTIQUINQUENNALIBUS REGIS SERENISSIMI FRID. WILH. III CONCELEBRANDIS HABITA IN GYMNASIO REGIO IOACHIMICO A. D. XVII KAL. DEC. MDCCCXXII.

Quae iucundissima atque honestissima bonis principibus merces laborum obtingere potest, ut cives imperio eorum gaudeant, ut vota suscipiant de incolumitate eorum ac diuturnitate vitae, eam his diebus undique ad regem nostrum Fridericum Wilhelmum et cumulatissime deferri videmus, serenissime princeps, auditores omnium ordinum spectatissimi. Nulla enim civitas est in hoc amplissimo regno, nullus ordo civium, nullum hominum genus, quin gratulentur, quin aedes sacras adeant votaque sua pro salute principis coniungant, quin omnem denique laetitiam publice privatimque effundant. Atque hoc faciunt non admoniti neque invitati a quoquam, ipso rege absente et procul a patria, sed non sua, sed patriae causa commorante. Sentiunt enim atque intelligunt hoc omnes, quoniam respublica bene constituta summum inter res humanas bonum sit, quantae gratiae deo optimo maximo debeantur, quod regem vere patrem patriae et dederit nobis et per viginti quinque annos, *grande mortalis aevi spatium,* servaverit. Neque vero nos hisce annis, sicut illustrissimus rerum Romanarum auctor de sua aetate queritur, per silentium ac segnitiem pueri ad iuventutem, iuvenes ad senectutem pervenimus. Fuit enim haec aetas, si ulla unquam alia, gravissimis tempestatibus commota, et singularium atque incredibilium eventuum plena. Cuius primo ortu regna vicina, non unum et alterum, sed omnia fere partim civium efferatorum discordiis, partim hostium turbulentorum impetu aut corruerant aut graviter concussa ruinam minabantur; novae

rerum publicarum formae extiterant, non secundum quas homines iuste temperateque viverent, sed de quibus partium studio incensi inter se contenderent ac digladiarentur; quidquid, ex vetustate repetitum, longa consuetudine suum honorem obtinere videbatur in legibus, moribus, institutisque civitatum, abrogatum erat.

Quid multa? Quasi quaedam elementa, communi vinculo soluto, ita tum fere omnium civitatum ordines ac potestates inter se depugnare coeperant. Atque nos quidem tum regis sapientissimi consiliis tecti armatique procul ab incendio late vaganti manebamus, diuque procellas debacchantes quasi ex alta turri securi, nec tamen sine commiseratione aliorum populorum aspiciebamus.

Iamque illa tempestas furere desierat, sana ratio hominibus redisse videbatur, cum ecce nova pestis ingruit, insatiabili cupiditate amplitudinis, gloriae, imperii inflammata, *clavos trabales et cuneos manu gestans ahena*, ut poeta ait, omnes terras peragrans, ubique suas leges, diram necessitatem parendi serviendique imponens. Quam cum regis sapientia a finibus nostris arcere non potuisset, secutum est illud tempus septem annorum, quo sicut aurum igni, ita regis nostri populique concordia, fides, virtus gravissimis periculis spectatae sunt. Neque dubito quin multi futuri sint, qui illud septuennium ex annalibus nostris ita deletum voluerint, ut nusquam eius vestigium appareat: ac vidimus ipsi, qui tum honorem nominis Borussici imminutum se ferre posse negarent, vitaeque suae finem imponere quam cum ignominia, ut sibi quidem videbantur, vivere mallent. Sed nunc quidem quis est, auditores ornatissimi, qui magnifico illo spectaculo libens caruisse velit? Videbamus enim regem in ancipiti fortuna constantissimum sapientissimos quosque ex populo secum congregare, sanare quae sananda essent, multa instituere, praeparare, moliri, quae aliquando, ac spe quidem citius, opus essent. Quid multis vos commoror, auditores amplissimi? Omnes enim una, quod insecutum est, experti sumus. Qui honeste cecideramus, honestius etiam ac gloriosius surreximus.

O singularem hanc et ad posteritatis memoriam celebrandam aetatem! O beatos nos, sub huius regis auspiciis viventes! Vidimus enim in utraque fortuna quid ultimum esset. O beatissimum regem, qui in tali tempore fidem amoremque populi sui cognoverit, quemque iam in hanc unam rem intentum esse liceat, ut belli vulnera persanet, populique felicitatem, prospere fundatam, confirmet atque extollat!

Atque hae quidem laetandi iustissimae causae cum omnibus Borussis communes sint, tum vos, alumni disciplinae nostrae, proprias habetis easque gravissimas. Erudimini enim, atque magnam partem

etiam alimini in schola sola principum nostrorum liberalitate condita, quae tot documenta habet regiae voluntatis, ut quasi in ipsius regis tutela esse videatur. Nam primum condita est ab Ioachimo Friderico, annis abhinc ducentis quindecim, maximam partem de patrimonio ipsius principis, aucta deinde et locupletata ab invicto illo heroe, cuius equestris statua vobis ante oculos est, qui simul atque hostium catervis patriam liberavit, nihil antiquius habuit, quam ut hanc scholam, a maioribus ipsi commendatam, sed tum temporis devastatam sedeque pristina extorrem colligeret, foveret, magnificentius restituendam curaret. Quid dicam de Magno Friderico? qui cum victoriarum suarum fama et ingenii splendore omnem Europam collustrasset, regia maiestate sua non indignum putavit, sua ipsum manu magistris praecepta conscribere, quomodo erudiendi essetis? Quid de eius sorore Amalia, elegantis ingenii et virilis plane eruditionis femina? quae hanc potissimum scholam elegit, quam ornaret eo, in quo colligendo summum studium posuerat, apparatu librorum, cum typis descriptorum, tum notis musicis signatorum. Quid denique addam de hoc ipso rege nostro Friderico Wilhelmo, cuius in universam rem scholasticam merita tanta sunt, ut singulari oratione celebranda videantur?

Itaque ne vel mihi ipsi vel aliis argumentum, in quo iure evagetur oratio, praecipere velle videar, hoc unum dicam, nihil unquam nos ad florem huius palaestrae litterarum augendum desiderasse, quod non vel ab ipso rege vel ab eius ministris, regis mentem edoctis, libentissime cumulatissimeque tributum sit, multa vero nos non ausos esse expetere, quae a viris sapientissimis ultro nobis oblata esse laetamur. Iam vero quanti illud faciendum est, quod regni heredem, alteram spem patriae, hic adesse videtis, qui quod in tanta turba gravissimorum negotiorum etiam nobis aliquid otii tribuere voluit, luculentissimo vobis documento esse poterit, quanto honore nostra haec studia litterarum digna existimet.

Intelligitis igitur, adolescentes dilectissimi, me non vanum fuisse cum dicerem, vobis et ipsis proprias quasdam causas esse, cur hoc die pie laetemini, talem nobis regem a deo optimo maximo et datum esse et per quinque et viginti annos prospera valetudine servatum, et cur ardentissimis precibus orare debeatis, ut eundem deus omnipotens usque ad extremam aetatem, quae utinam longissime absit, rebus nostris praeesse velit.

Atque hic finienda mihi esset oratio, si nihil aliud mihi propositum fuisset, nisi ut vos vestra sponte currentes exhortarer ad regis nostri Friderici Wilhelmi tertii vigintiquinquennalia pie grateque concelebranda. Verum haec huius diei sollemnitas etiam aliam quan-

dam vim mihi quidem videtur habere, cogitanti, qui tandem factum sit, ut regum nostrorum decennalia ac vicennalia et haec ipsa vigintiquinquennalia olim non celebrata fuerint, cum reges habuerimus, id quod dei optimi maximi singulari rerum nostrarum curae tribuendum censeo, qui et ipsi per longissimum temporis spatium summa cum laude inter nos regnaverint, ut Magnum Electorem, ut Fridericum Wilhelmum primum, ut illum, numquam sine honore appellandum, Fridericum Magnum.

Cur igitur hoc potissimum tempore haec quinta regis nostri quinquennalia, tanto studio non huius tantum civitatis Berolinensis, sed, mihi credite, etiam ceterarum omnium per totius regni ambitum celebrari censetis? Quia, si fas est dicere, non huius regis, sed regni Borussici vigintiquinquennalia homines sibi celebrare videntur, quoniam hoc ipso tempore et hac nostra memoria tantas turbas in aliis et vicinis et longinquis regnis audiverunt fuisse, et quotidie audiunt, quae omnium mentes ea persuasione implent, nobis quidem Borussis optime esse, nec feliciorem ullam esse civitatem atque huius felicitatis unicam causam esse in stabilitate regni ac vere paterno regum nostrorum erga cives suos animo.

Quo id manifestius intelligeretur, possem Borussiae nostrae cum Hispania, Italia, Gallia, ipsa illa Britannia, alioquin florentissima, comparationem instituere ac demonstrare, quamvis aliis multis rebus, amoenitate regionum, clementia coeli, fecunditate soli, magnificentia urbium, artificiorum aliarumque rerum, ad vitae cultum pertinentium, abundantia nobis praestent, tamen nos hac honesta, nec illiberali quiete ac tranquillitate regni, hac principum nostrorum cum toto populo concordia nulli populo cedere, plerisque aliis etiam longe antecellere. Sed ego ab hac ipsa oratione, qua utor, Latina admonitus me continebo et de republica populi Romani dicam omnibus haud dubie provinciarum ambitu gloriaque rerum gestarum longe anteferenda.

Ac vetera illa reipublicae liberae tempora omitto, neque enim iuvat, quae toto genere diversa sint, inter se comparare, quamquam, quod ad hunc locum, de quo dicimus, felicitatis publicae pertinet, nulla est causa, cur illam comparationem defugiam. Nihil enim aliud quaeram, nisi hoc, num putetis, Romanos perfecta et absoluta illa libertate, adde etiam immunitate omnium tributorum uti potuisse, nisi ceteri omnes populi in orbe terrarum servirent, ac, numquis se forte, ut res militaris et eloquentiae studia efflorescant, perpetuis bellis exerceri atque in summis turbis reipublicae administrandae vexari velit? Omnino, ne quid supervacuum addam, veteres illas respublicas Atheniensium, Lacedaemoniorum, Romanorum illustrissimum historiae documentum, nobilissimum spectaculum esse censeo,

sed quod semel tantum esse potuerit: aliorum temporum, aliorum morum sunt, neque quemquam tam dementem esse puto, qui eandem gentium condicionem serio velit revocari.

Verum, ut ad rem redeam, omissis illis antiquis temporibus ipsa haec regis nostri vigintiquinquennalia in memoriam nobis revocant vetera imperatorum Romanorum quinquennalia, decennalia, vicennalia, quae cum et ipsa omni laetitia publica et magnifico ludorum apparatu celebrata sint, adhortari quodammodo nos videntur, ut paululum hic insistamus et utramque aetatem comparemus. Qua in re vos mihi rogandi estis, viri amplissimi, quorum praesentia haec scholastica sollemnitas illustratur, tuque imprimis, serenissime princeps, cuius aspectu haec moenia gaudio quasi exultare mihi videntur, ne quid a me vel ex remotis doctrinae copiis haustum, vel artificiosa eloquentia magnifice exornatum expectetis. Abhorret enim animus meus ab istis rhetorum calamistris, et quamvis mihi longe iucundissimum sit, vos, tantos viros, hic adesse, nec orationes has scholasticas audire dedignari, tamen me adolescentulis nostris imprimis hanc orationem debere putaveram, neque, quod semel volanti calamo conscripseram, tempus erat refingere et vestrae doctrinae accommodare. Nolite igitur existimare, me acute ornateque dicendi laudem, quam vere et ad illorum mentes erudiendas apte, quaerere maluisse, neve me eam ob causam reprehendite, quod loci et ordinis mei memor cum discipulis praecipue nostris agendum mihi esse censuerim.

Itaque iam vos oro et obsecro, iuvenes disciplinae nostrae commissi, huc mihi paulisper intendite animos, ut intelligatis, quantum momentum in hac regni stabilitate insit ad felicitatem populorum. Unde putatis accidisse, ut, quod vobis omnibus satis constare videtur, nulla unquam miserior ac perniciosior generi humano aetas fuerit, quam illa populi Romani sub imperatoribus? Nam hoc quidem nolite putare, non fuisse etiam in illa reipublicae forma multa, quae primo aspectu admirabilia summoque studio expetenda videantur. Quid enim, quaeso vos, quid speciosius esse potest, quam esse in republica unum sapientissimum consilium publicum, a quo plerique magistratus creentur, vectigalia imponantur, gravissimae res et domesticae et exterae administrentur eiusque consilii principem esse, qui rei militari imperatoris nomine praesit, aliarum rerum nihil ipse sua potestate constituat, nec fere leges det, nisi de quibus antea ad senatum retulerit, quique magistratuum candidatos non omnes, sed aliquot tamen ipse legat: esse praeterea iudiciis suam vim, suum honorem, iudices ipsos ex honestissimis omnium ordinum civibus privatis legi, atque causas coram populo diiudicare; vectigalium onus non grave, nullum publicum aes alienum, aerarium reipublicae se-

iunctum a fisco principis, qui et suo patrimonio et aliquot provinciarum minorum vectigalibus facile se domumque suam sustentare possit, ipsorum denique civium inter se ius aequum, nec ullum praecipuum generis ac nobilitatis, aditum ad omnes honores et magistratus patere cuivis, qui prudentia civili et eloquentia vel virtute militari excellat? Atque haec omnia in illa republica erant, neque me quisquam mentitum esse, aut rem auxisse dixerit. Nam imperatores quidem haud dubie se cives esse volebant, et principis ipsa appellatio quem locum inter cives habere voluerint significat, neque negamus, prudentia et ingenio, adde etiam litteris, fere omnes valuisse, certe stultitiae ac fatuitatis pauca tantum exempla esse nec ea tam pestifera civitati, quam ingeniosam aliorum calliditatem.

Unde igitur accidit, ut, quod initio dixeram, illo tempore nullum in historia generis humani miserius fuerit, ut summo horrore in audiendis solis illorum nominibus Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis, Vitellii, Domitiani, aliorum corripiamini? Atqui didicimus etiam recentioribus temporibus fuisse aliquos reges luxuriosos, libidinosos, truces ac severos, ingenio minime valentes, neque tamen unquam, quamvis privata eorum vita summis lacerata fuerit conviciis, publice tantum eos suis civitatibus nocuisse intelleximus. Quam igitur censetis aliam causam fuisse praeter hanc, quod qui imperabant initio quidem imperium vi armisque ab devictis civibus extorserant, deinde summam potestatem habebant, non certa quadam et immutabili lege, neque ex sese, cum non una domus regia, sancta et aeterna, esset, sed demandatam ab his, qui ipsi inopes et illorum arbitrio subiecti essent, quod denique falsa quadam simulatione cives se ferebant, cum armis iidem longe super alios omnes imperio ac militum armis elati essent?

Ac sicuti saepenumero videmus fieri, si qui parum ingenio valentes aut caeca fortuna aut malis artibus in altum quendam locum evolarunt, ut adulatoribus aures praebeant et superbi fiant, et nisi improbe iis adulantur et assentantur, etiam odisse incipiant, a quibus se contemptos putant: ita paulo post factum est in imperatoribus Romanis. Senatores principes, cum non satis intelligerent, cur non et ipsi eodem loco digni essent, ut hanc mentem suam recondęrent, ad foedissimam adulationem prolabebantur: imperatores, simulationis intelligentes, contemnere coeperunt, et quoniam non iniuria subesse aliquid doli suspicabantur, non contemnebant solum, sed iisdem fallaciis illos circumvenire ac subvertere studebant. Itaque alterius conscientia, alterorum adulatio suspiciones pariebant, suspiciones odium, odium crudelitatem et extrema omnia. Atque ab hac perniciosa labe numquem vel bona mente praeditum imperatorem

liberum se tenere potuisse arbitramini? Difficillimum certe fuisse ac paene supra naturam humanam fatebimini.

Nam cum sui similes multos in civitate viderent, seque nulla re adeo insignes, quin ceteri idem sperare possent, quod ipsi adepti essent, anxie circumspicere coeperunt, numquis vel in senatu vel apud populum vel inter milites ea auctoritate et gratia floreret, quae ad suam accederet, et si quando conspexissent, vel conspicere sibi visi essent, animus *perpetuo metu laceratus* circumagi coepit, donec illam formidinem procul amovisset. Haec mentis perturbatio etiam optimos quosdam imperatores corrupisse traditur, sicut Hadrianum, atque adeo ne Vespasianus quidem ipse, senex, ab hac peste liber erat. Quid dicam de Tiberio, qui ante principatum et ducem belli eximium sese praestiterat, et modestum rerumque civilium peritissimum, iamque eo aetatis pervenerat, ut, quod iuvenis et vir inchoasset, senex perfecturus videretur: nonne is, quo propius mortem venit, eo crudelior, suspiciosior, optimo cuique infestior factus est? Nimirum initio Germanicum, deinde eius filios, postremo Seianum rerum potiri velle seque meliores haberi existimaverat.

Quid vero, si idem metus in iuvenem principem, in segnem, in luxuriosum, in mollem atque a bello abhorrentem incidisset, quid tum factum putamus? Facta sunt ea, quae sub Caligula, sub Claudio, sub Nerone, Vitellio, Domitiano accidisse didicimus. Foedissima adulatione omnia prostrata erant, omnes ingenii flores retusi, omnis veritas ex hominum commercio sublata: ipsi principes miseram vitam, plenam anxietatis ac timoris agebant, in consuetudine vilissimorum mancipiorum delectationem rerumque suarum oblivionem frustra quaerebant, dum optime quique ex amicis ob levissima crimina trucidabantur. Atque eo tandem illa superbia, illud odium generis humani erupit, ut Caligula quidem toti populo Romano unum collum esse vellet, quod uno ictu decideret! Nimirum quot Romae homines, tot sibi hostes esse credebat, quoniam sciebat, quam potestatem haberet, eam sibi non propriam, sed extortam esse maleficio ac scelere. O miseram illam vitam, o tempus luctuosissimum, quo nulla cuiquam salutis spes supererat, nisi qui longissime a conspectu principis recessisset, seque aut in solitudinem aut inter humillimam plebem abscondisset!

Tantum igitur potuit non populi depravatio nec inevitabilis quaedam generis humani labes, sed regiminis perversa ratio, quia iuris potestatisque discidium erat, quia qui imperabant, non certa et aeterna quadam lege ad illam loci maiestatem destinati erant, sed imperium omnium votis expetitum quasi in medio iacebat. Quo maiore misericordia generosus ille populus dignus est, quippe qui non

sua culpa, sed in experimentum futurorum seculorum, ne qua eodem modo peccarent, foedissime laceratus esse videatur!

Sed iam tempus est, ut eum locum relinquamus et nostram aetatem nostramque condicionem laeti gratique consideremus. Nam apud nos omnia diversa esse videtis, cuius rei causa nunquam satis magnas deo omnipotenti gratias agi posse censeo. Nos enim stabile regnum habemus, non profectum et quasi concretum ex corrupta libertate, sed una cum primordiis gentis Germanorum natum: reges non ab ullo ordine civium nec militum armis civitati impositos, sed inter nos ex longa annorum serie ita natos, ita educatos, ut reges se aliquando fore certo scirent; nulla gratia, nullis delinimentis imperitae multitudinis opus est, ut locum a maioribus suis relictum teneant, nullo metu afficiuntur, ne eundem unquam vel cuiusquam scelere vel ambitiosis consiliis amittant. Itaque reges nostri humani et clementes sunt, et longe remoti a superbia adversus infimos. Qui enim possunt in ea civitate infimi vocari, ubi vel potentissimi, si cum rege comparentur, aeque longe ab summo rerum humanarum fastigio absunt atque ab ultima pauperum condicione? Ambulantium in publico latera non tegunt satellites, quia discidium nullum inter ipsos et populum esse potest: cives suos facile patiuntur bonis fortunisque abundare, adiuvant etiam ac laetantur: quid enim vel locupletissimorum thesauri prae ipsorum copiis patritis atque avitis sunt? Nec sua causa tributa imponunt civibus, quia ipsorum patrimonium etiam luxuriose viventibus nimio plus sufficit. Quid quod etiam clientibus suis et ultimis civibus adversus se litium persequendarum potestatem concedunt? Non ego vobis illum molitorem in memoriam revoco, qui se a rege nostro, totius fere Europae victore, vinci non passus est. Quotidie, si vultis, similia audire potestis, quamquam non in tam illustri loco posita. Superbiunt enim reges nostri, si ulla re, iustitiae amore, sibique ipsi hanc immutabilem legem, multorum seculorum usu sancitam, praescripserunt, ut nihil ipsi in iure pro potestate decernant. Iuratos iudices sua auctoritate instituerunt, eosque ita volunt severe, nulla partium ratione habita, iudicare, ut, si unquam duri atque inexorabiles fuerunt, in puniendis iudicibus fuerint, quos secundum nobiliores adversus pauperes et inopes iudicasse censuissent. Mementote nobilissimi illius documenti regiae severitatis in altera causa molitoria! Quid enim iuvant leges, quid civilia instituta, nisi voluntas adest iis parendi? Romanorum quidem iudicia imperatoribus non subiecta erant, et tamen ius fractum est in causis capitalibus. Nos alia quidem instituta habemus, sed reges iis ipsi obtemperant: persuasum enim habent, nisi populo suo bene sit, ne sibi quidem bene esse posse. Itaque tamquam mites quidam patres inter

nos versantur, qui nullum commodum seiunctum habeant a liberis suis, qui nulla re glorientur, nisi illorum pietate, strenuitate, virtute denique ac felicitate!

Quid iam restat, viri amplissimi, nisi ut deum ardentissimis votis precemur, ut hanc tranquillitatem otii honesti, non servilis, hanc felicitatem, quam ipse nobis dedit, regni stabilis et legibus institutisque bene temperati, propriam ac perpetuam nobis esse velit, utque hanc concordiam regiae domus cum civibus ita conservet, ac, si fieri potest, confirmet atque augeat, ut nulla unquam vis externa eam concutere ac debilitare possit. Vos autem, iuvenes nostrae disciplinae traditi, et meo et collegarum doctissimorum et communis patriae nomine, oro atque obtestor, ut omni cura diligentiaque adhibita spem, quam adhuc in vobis repositam habemus, comprobetis. Vos ex omnibus regni provinciis huc congregati estis: vos regia liberalitate, nostra summa cura et industria hic erudimini: vestrum erit probare tanta beneficia in gratos homines esse collata: vos ea, qua soletis, assiduitate et in dies maiore in litteris versabimini, eum ad finem, ut aliquando pietate, iustitia, constantia, doctrina, quanta fieri poterit, maxima instructi regis consilia sapientissima opera vestra ministerioque adiuvare possitis. Dixi.

ORATIO HABITA IN FRIDERICI WILHELMI III. REGIS AUG. NATALICIIS LIX BEROLINI IN GYMNASIO IOACHIMICO A. MLCCCXXIII.

Arbitror ego vos omnes, viri generosissimi, auditores humanissimi, eam ob causam hunc in locum convenire atque haec vota sollemnia vestra praesentia concelebrare voluisse, quod res scholastica vobis digna videtur, ad quam curam animosque convertatis. Neque sane non inter paucissimas res, quae omnium hominum mentes cogitationésque exercent, habenda est haec scholasticae institutionis ratio, cuius admirabiles sunt in utramque partem fructus atque ad omnem vitam pertinentes. Quis enim est, qui non, cum recesserit in memoriam pueritiae, facile recordetur, quantam vim vel ipsa schola vel unius et alterius magistri disciplina ad animum excolendum habuerit, quid sit, cur una litterarum pars sibi vel seni iucunda sit, alterius nomen ipsum reminiscentis animum tacito quodam horrore perstringat? Servat enim odorem testa diu, quo semel recens imbuta

est, et paucissimi, quam viam iuvenes ingredi non didicerunt, eam viri facti suo ingenio quaerere et investigare solent. Quapropter quid facere possum vel muneri meo aptius, vel personis vestris accommodatius, quam ut de re scholastica dicendi mihi argumentum sumam, praesertim cum haec res artissime cum regis nostri laudibus coniuncta sit, pro cuius salute ut hodie vota nuncuparem, huius scholae nomine orator constitutus sum. Nam hanc palmam optimo regi iustissime deberi omnes ita consentiunt, ut ab eo in hoc genere plus praestitum esse fateantur, quam a plerisque aliis regibus: hanc esse in eius quasi corona civica fulgentissimam gemmam, quod rem scholasticam et sumptibus faciendis egregie adiutam et legibus dandis prudenter conformatam esse voluerit.

Itaque hac rerum divisione servata, et ipse primum de statu scholarum, deinde de ratione disciplinae et constituta et constituenda dicam. Qua in re hanc mihi veniam facile dabitis, auditores humanissimi, ut paululum a regis persona discedere liceat: redeunt enim omnia, quamvis longinqua videantur, ad eundem tamen finem et optimi regis laudem: neque pluribus verbis orabo, ut argumenti tenuitatem excusetis, cum certo sciam, nihil vobis tenue videri, quod ad iuventutis patriae institutionem pertineat.

Constat, auditores doctissimi, statum scholarum diversis temporibus diversum fuisse. Nam apud veteres Graecos, quibus solis hanc quasi praerogativam natura tribuerat, ut omnia ingeniosius invenirent, quam laboriosius discerent, nullae erant scholae publice constitutae: totus ipse sibi populus erat magister, totus discipulus. Qui artem aliquam invenisset, discendi cupidos circa se congregabat: civitas nec adiumenta, nec praesidia ad eam rem praebebat. Neque veteres Romani, cum omni studio ad rempublicam administrandam ferrentur, quae eo pertinebant artes, operose discebant: ipsa respublica, forum, iudicia pro schola erant, palam erant omnia, nihil reconditum, nihil remotum. Sed iidem tamen populi cum amissa libertate consenescere coepissent, magno suo detrimento intellexerunt, longe difficilius esse, partam ab maioribus scientiam retinere ac tueri, quam illis fuerat, parere atque invenire. O documentum illud ingens ac memorabile, auditores humanissimi! Artium ac disciplinarûm irrevocabilis iactura citius, quam quisquam expectaverat, ingruit, quamvis et reges et imperatores Romani praemiis honoribusque studia hominum eruditorum retinere cuperent. Nam unum illud, quod ruinam fortasse sustentare potuisset remedium, non erat in promptu, ut scholae doctrinae conderentur, magistri convocarentur, alerentur, omnibus aliis negotiis exolverentur. Itaque tenebrae aliquanto ante Gothorum, Hunnorum, Vandalorum populationes orbem terrarum

inducere coeperunt, veterum ingeniorum monumenta obruebantur, spissa nox paulatim ingravescebat. Extitit tum ecclesia christiana, quae scholas aperiret et doctrinae patrocinium quodammodo susciperet. In eius tutela res scholastica mille ferme annos latuit. Et initio quidem satis liberaliter habebatur, ut artes litteraeque suae praestantiae causa, non ob aliquam necessitatem coli ac propagari viderentur: mox vero cum monachi et canonici, quorum illud munus fuerat, otium et quietem quam doctrinam sequi mallent, totaque ecclesia agris bonisque locupletata sese a republica separasset, institutio iuvenilis negligi coepit, nec fere quicquam litterarum, nisi apud solos ecclesiasticos erat, et quantum illud fuerit non opus est dicere. Sola fuit grammatica latina, qua nemo, qui supra vulgum sapere vellet, carere poterat: illud unum vinculum fuit, quo aliquando recentem barbariem cum antiquitatis doctrina colligatum iri sperares.

Restitutis igitur in Italia litteris antiquis et veteribus Graecis Romanisque scriptoribus detectis atque in usum hominum prolatis, ea maxime mutatio scholarum secuta est, quod ad novam messem percipiendam non unius tantum ordinis homines, sed omnia vitae genera invitarentur. Atque ipsa ecclesiae emendatio, quam reformationem vulgo dicimus, quam aliam habuit vim, nisi ut discidium, quod inter ecclesiam ceteramque rempublicam esset, tolleret, sacerdotes cum vita civili coniungeret, ceteros cives ad vitae sanctitatem et doctrinae communionem vocaret? Condebantur tum certatim scholae a principibus, a civitatibus, a privatis hominibus, quae mirabilem in modum efflorescebant et discipulorum multitudine litterarumque tractatarum ambitu crescebant. Itaque artes et litterae illo sexto decimo saeculo tantos progressus fecerunt, ut veterem illam Graeciam, artium litterarumque inventricem, revixisse putares, eo discrimine, quod, ut olim ingenium lente doctrinam, sic doctrina tum cito ingenium provocasse videbatur. Sed hoc loco non dicimus de ipsis litteris, dicimus de scholarum regimine, quod, ut antea penes ecclesiam, sic iam, prout quaeque schola condita erat, penes principem, penes civitatum magistratus, penes singulos homines erat.

Ex qua re quot incommoda nascerentur, nemo tum intelligebat, omnes enim uno studio exarserant augendae doctrinae, emendandae vitae, lucis evangelicae defendendae. Postea vero cum litterarum ambitus ingentem in modum amplificaretur, alia non iam necessaria viderentur, novae multae opiniones de commutanda re scholastica orirentur, partim verae, partim veri tantum speciem prae se ferentes, cum alii novam disciplinam cupide inducerent, alii veterem pertinaciter tuerentur, nec tamen non possent eam in quibusdam rebus relinquere: intelligi coeptum est, quantopere res scholastica certo

quodam regimine egeret. Accesserat etiam aliud incommodum, quod magis etiam ad scholarum statum pertinebat. Nam cum in aliis provinciis, aut veteri opulentia instructis, aut insigni principum liberalitate adiutis, multae scholae florerent eorumque magistri lautis stipendiis instructi essent, in aliis contra latis regionibus pauca erant doctrinae seminaria, et quae redituum tenuitate miseram vitam trahebant. Comparate, quaeso, Saxoniam, ludis litterariis abundantem, cum Pomerania nostra et Neomarchia et hac ipsa provincia Brandeburgica electorali, qualis quidem ante paucos annos erat, ac facile, quantopere hoc discrimen scholarum conditarum ad doctorum hominum proventum valuerit, intelligetis.

Illis igitur incommodis, ut priora medendi initia omittam, penitus occurrit regis nostri sapientia, qui cum regnum ex ingentibus bellorum turbis recepisset, totam scholarum curam in partem summae reipublicae recepit, et communi regimini subiecit. Neque poterat quicquam sapientius et ad augendas populi vires accommodatius institui. Nam cum omnis hominum vita et animo et corpore constet, sicut bonorum regum est, cavere, ne quod cives sui corporum et fortunarum detrimentum faciant, et omnia providere, ut et saluberrime vivant et bonis honeste locupletentur: sic animis eorum, religionis doctrinaeque praesidiis et adiumentis comparandis, consulere debent.

Turpis enim atque inhumana quorundam hominum opinio merito censetur, periculum esse, ne, hominibus nimis eruditis, fides erga regem patriamque, honestas atque religio labatur. Hoc certe falsum esse facile intelligitur. Deus enim hominibus mentem dedit, quam excolerent, neque potest ac debet quicquam perniciosum et alienum ab hominis et civis officiis ex illa mentis cultura, nullis terminis circumscripta, consequi. Itaque iure nullos sumptus, in augenda doctrina collocatos, nimis magnos existimabimus, atque regem eiusque amicos et praeclari operis administros omni laude cohonestandos censebit posteritas, quod veterum scholarum reditus, ubi opus videretur, auxerunt, novas condiderunt, nullam sustulerunt.

Quae quamvis magna sint, et merito omni laude celebrentur, nemo tamen nihil iam relictum esse opinabitur. Provisum iam fere satis videri potest his scholis, de quibus peculiariter dico, quas litterarias appellare liceat, instituta etiam via est ad emendandas scholas parvulorum rusticorum. Deesse tamen etiamnunc videtur medium aliquod genus scholarum, cuius insignem fore utilitatem persuasum habeo. Nimirum hoc tempore, cum artes et disciplinae per omnem vitam ita diffusae sunt, ut si quis ad negotium aliquod civile, ad

honestum quaestum, ad mercaturam factitandam accedere velit, multa iam percepta habere debeat, quibus illam ipsam rem sibi ac civitati fructuosiorem reddat: hoc igitur tempore scholae quaedam in urbibus maioribus desiderantur technicae, in quibus, quae ad praesentem usum et necessitatem vitae communis pertineant, accuratius et plenius doceantur, quam fieri potest in scholis inferioribus ac fieri debet in scholis litterariis. Neque enim omnia, quae ad naturae cognitionem et scientiam pertinent, ad chemiam et eas partes mathematicae, quae artium popularium causas rationesque persequuntur, porro geographia, quae politica et statistica vulgo dicitur, linguae recentiores, alia nec possunt ob temporis brevitatem in scholis litterariis doceri, nec debent, quandoquidem nondum ita possunt doceri, sicut accurata doctrinae ratio postulat. Atque ingens adeo commodum, talibus scholis institutis, ad haec antiquioris doctrinae seminaria redundaret. Laboramus enim, auditores humanissimi, multitudine discipulorum, alia omnia quam nostram hanc doctrinam expetentium: eorum causa nonnulla docentur, quibus supersedere possemus, si omnes illos, certe plerosque, cursum scholasticum aliquando perfecturos esse speraremus, plura contra illi discere coguntur, quorum, cum utilitatem minus perspiciant, non illi quidem aspernantur institutionem, sed crassa Minerva, ut aiunt, percipiunt, et ipsis magistris, ut leniores ac lentiores fiant, paulatim persuadent. Accedit etiam hoc, quod hac blanda consuetudine lente discendi multi pueri quasi aliud agentes ab infimorum ordinum scamnis ad academiam perducuntur, quorum ingenia ad alia factitanda melius videmus esse comparata, quam ad severiores disciplinas et munera in republica obeunda.

Sed etiam huius rei aliquando remedium regis sapientia inveniet*). Nunc, si multitudinem scholarum doctarum, iam in omnibus regni provinciis laete efflorescentium, contemplor, animus perfunditur laetitia, atque huic regno optima et faustissima quaeque praesagit. Felicem quis enim non iudicaverit terram, in qua honestas et doctrina per omnes civium ordines diffusa sit, imprimis ubi hi, qui aliquam reipublicae partem administraturi sint, ita omni et animi et ingenii praestantia excellant, ut ceteri cives se ab iis libenter regi patiantur? Neque enim unquam adducor, ut doctrina non mores quoque vitam-

*) In hac quidem urbe nostra dudum instituta est schola, quae realis dicitur, nuper regia liberalitate aucta et insigniter adiuta, cui aemulabitur ea, quam senatus huius civitatis condendam suscepit. Licet igitur iam sperare, simile aliquid extiturum apud nostrates, ac Parisiis institutum polytechnicum, unde eximiam utilitatem ad vitam communem et ipsas litteras fluxisse constat.

que hominum emendari censeam, dummodo illa sit doctrina, quae non inani declamatione, sed operosa et gravi mentis intentione et constet et comparetur.

Sed hoc alterum erat, de quo deinceps dicere constitueram, cum initio me verba facturum de re scholastica regis benivolentissimi auspiciis et aucta et novis legibus conformata ostendissem. Quid enim iuvat scholarum multitudo, nisi certae leges accedant, quibus et magistrorum labores et discipulorum studia regantur?

Atque in ea re non possum non praedicare et regis ipsius et virorum, quos in partem curarum vocavit, sapientiam, qui cum multa, quae ad universam rem scholasticam pertinerent, accurate constituissent, alia non minus multa ipsis scholarum rectoribus et magistris permiserunt, de quibus, non dico ad libitum suum, sed ad praesentis usus necessitatem decernerent. Neque enim sapiens quisquam laudaverit istam sollicitam curam omnia praescribendi, quam ex peregrinis ac barbaris terris etiam in patriae nostrae Germaniae quasdam regiones illatam esse doleas; qua hoc assequi student, et vero etiam assequuntur, ne quid usquam novum, ingeniosum, atque a receptis opinionibus alienum hoc in genere appareat. Ut hoc utar (neque enim decet, obscuris vocibus iactandis latius, quae ad te non pertineant, videri velle perstringere), nostrarum rerum moderatores non praescripserunt, quibus libris vel doctrinae compendiis magistri in docendis adolescentibus uterentur, a quibus abire et diversa docere piaculum esset. Ne scriptores quidem graecos et romanos, quamvis de his vetusta maiorum opinio, sed opinio tamen, iamdudum statuisse videatur, ita praescribunt pueris et adolescentibus praelegendos, ut scholarum rectores et magistri, prout discipulorum suorum profectibus conveniat, non possint etiam ad alios subinde transire. Commendant, admonent, corrigunt, sed tantum abest, ut patriae iuventutis doctores servos aut operas publicas existiment, qui, quod iussi sint, aeneo pectore, sicut praecones quidam, deblaterent, ut laudibus etiam praemiisque adhortentur, et adiuvent, si quis novum aliquid et bonum suo in genere praestiterit, et ex doctrinae penu protulerit. Rectissime. Nam, ita me deus iuvet, nescio an nulli hominum ordini segnities et dulcia illa vitae sollicitae oblivia magis timenda sint, quam magistris scholasticis, cum eius rei nimis magnas illecebras habeamus: similitudinem pensorum et profectuum, secessum domesticum, vitam a negotiis publicis remotam.

Itaque doctrinam solam esse, quae nos et consolaretur et excitaret, huius augendae ac proferendae studium semper alendum, huius adminicula largiter praebenda esse sapientissimi quique rerum scholasticarum moderatores semper intellexerunt. Qui non vereor, ne

pernicioso quorundam hominum errore et ipsi decipiantur, mediocritatem quandam doctrinae in hominibus scholasticis magnopere commendantium, ingenium vero et indefessum discendi studium etiam reprehendentium. Scilicet assiduitatem puerorum docendorum illis rebus minui opinantur, nec tamen cogitant, quantum exemplum valeat ad animos erudiendos. Neque enim potest doctrinae studium gigni, nisi eodem studio, et frustra omnes omnium litterarum doctores congreges, nisi scintilla illa, in teneris mentibus latens, adhortationibus, admonitionibus, poenis, vultu denique et voce et exemplo magistri excitetur, alatur, inflammetur. Sed in viam me revoco. Dixeram, insigni laude dignissimos esse et regem ipsum et regis amicos, (sic enim merito veteres Romani regum et principum consiliarios vocabant,) quod scholarum magistros noluerunt illi quidem, docendi legibus praepeditos, in laboriosum negotium contrudere, sed eorundem studia certis institutis rexerunt. Quo ego pertinere arbitror examina severa, cum ipsorum virorum iuvenum, qui in hunc doctorum publicorum ordinem intrare vellent, tum discipulorum, cursu scholastico perfecto, imprimis sollemnia et publica auctoritate sacrata. Potest enim ac debet civitas postulare a schola, quantum velit didicisse adolescentem, priusquam ad studia earum rerum, quae ad rempublicam administrandam pertinent, gradum faciat. Hae scholae humanitatis sunt, vel, si mavis, universae doctrinae. Academia, quem haec doctrina habeat usum, quam rationem et utilitatem ad vitam civilem et negotia publica, docet, et omnis iam ad eruditionem cum utilitate et salute publica consociandam tendit. Itaque rex, quem modum scientiae eum habere vellet, qui aditum quasi propiorem ad rempublicam peteret, constituit, quique eum nondum assecuti sunt, hi, tantae rei impares, a limine academiae arceri debent. At dixerit aliquis, eaedem, quae in schola litterae traduntur etiam in academia: scriptores graeci et romani explicantur, scholae habentur de omnibus partibus mathematices et physices, historia et antiqua et recentior enarratur. Docentur illa quidem omnia, et prudenter hoc institutum est, ne ullus usquam locus vacuus esset praesidiis et exercitatione universae doctrinae et litterarum humanitatis. Quocirca scholas, ut hoc utar, de praestantissimis graecis romanisque scriptoribus habendas, aequum est ab omnibus iuvenibus in universitate studentibus frequentari, quoniam tam multiplices fructus ex hoc veteris historiae veterisque artis studio emanant. Verum illae scholae academicae non sunt tamen eam ob causam institutae, ut rudes adolescentes quasi manu magistri ducti lacunas eruditionis scholasticae expleant, sed ut eruditi iam ac bene praeparati ad altiora penetrent, et ipsi aliquando earum rerum doctores fiant. Quapropter iure a nostris

adolescentibus, scholasticam disciplinam relicturis, exigitur, ut graece mediocriter intelligant, latine non solum intelligant, sed etiam emendate scribant, universae historiae praecipuos eventus teneant, mathematicarum disciplinarum elementa perceperint, patrio denique sermone recte et apte quae cogitaverint exprimere possint.

Haec non nimis magna esse, et iuveni in altum quasi artium ac disciplinarum enavigaturo prorsus necessaria, quivis harum rerum aestimator concedet, fatebitur adeo, ab adolescente bene instituto postulari praeterea posse, ut unam alteramve linguarum recentiorum usu et lectione didicerit, et aliquam cognitionem de ambitu doctrinae universae et cognatione litterarum habeat, id quod ego quidem iuveni studioso imprimis utile esse arbitror. Sed ea tamen non exiguntur, nec eorum quae exiguntur, ratio discendi et docendi scholis praescribitur, sed concordi magistrorum ingenio et doctrinae permittitur. Sed nescio an nulla unquam lis tanta inter homines doctos fuerit, quanta haec de ratione modoque litterarum in schola tractandarum, deque dissensione, quae putatur interesse inter disciplinas mathematicas ceterasque ad naturae scientiam pertinentes, et inter litteras antiquas quaeque aliae ad historiam spectant. Neque lis illa secundum hos vel illos diiudicata est a rege nostro, (regis enim ea puto esse omnia, quae regia auctoritate constituta sunt,) sed dissensio aliter atque plerique digladiantes expectaverant composita, dum utraeque disciplinae ita suum honorem obtinere iubentur, ut nec eruditionis antiquae severitati quicquam detractum, et multum recentioris flagitationibus concessum sit.

Quodsi iam multi inveniuntur, qui perire vitam adolescentium multitudine rerum discendarum clament, et obrui teneros animos, dum, quae ceteri senes nondum didicerint, hodie ab adolescentulis exigantur: hi sibi persuadeant, usu atque meditatione magistrorum quotannis aditus ad doctrinam faciliores fieri. Male hercule actum esset de omni disciplina, nisi hoc nos obtinuerimus, plerasque res hodie facilius, nec tamen minus accurate disci, quam discebantur ante hos viginti et triginta annos. Verbi causa: scriptores graecos quanta facilitate iam nostri discipuli explicant et interpretantur! cum nos plerique magistri, quanto labore et quanto taedio decem Homericos versus singulis lectionibus olim perreptaverimus, non sane laeti recordemur. Porro latine et intelligendi et scribendi facultate quanto maiore hice adolescentes gaudeant, quam nos, eadem cum aetate eramus, quis est qui non libens velit agnoscere? Itaque quamvis in dies rerum discendarum copia augeatur, augetur tamen etiam discendi facilitas, novae rationes ineuntur, non semper illae quidem improbandae; sed dum ipsa necessitate ad varia subsidia et adiumenta

invenienda compellimur, latior et rectior via struitur, impedimenta, quibus olim obsepta erat, removentur, falsa abiiciuntur, minus recta corriguntur, certiora iam pueris traduntur.

Atque ausim ego contendere, si quis hoc tantum agere velit, ut eum finem, qui academiae futuris civibus edicto regio propositus est, assequantur discipuli, multo etiam breviore tempore, quam nunc solet, illud posse perfici. Quid enim, auditores humanissimi? Graece intelligere, latine probabiliter scribere, ut de mea tantum professione dicam, si quis velit compendiaria via discere, legat quotidie Ciceronem et Xenophontem, et unam horulam latine se scribendo exerceat: haud dubie intra biennium, postquam verba componere didicerit, omnium iudicum postulatis satisfaciet. Sed apage istas ineptias! Neque enim veteribus linguis operam damus, aut praestantissimos scriptores legimus, ut verba construere discamus, sed ut animos veteri historia et eloquentia et philosophia alamus, cuius rei tanti sunt fructus, tanta tamque honesta voluptas, ut nemo bonis adolescentibus tempus illud invidere debeat, quod una cum ceteris disciplinis huic praeclaro studio impendant.

Atque ut hoc extremo loco etiam aliquid addam de divisione ac distributione lectionum scholasticarum, quam rem moderatores rerum nostrarum merito ipsis scholarum magistris permittere voluerunt, dicam ego quod sentio, quodque mihi multum ea de re cogitanti solet interdum non ineptum videri. Cum tres partes sint universae doctrinae, prima quae ad rerum naturalium notitiam et leges pertinet, altera quae ad mentis humanae cognitionem, tertia quae ad rerum olim gestarum scientiam spectat: harum trium partium in his scholis, si quidem recte litterariae et doctae vocantur, omnium fundamenta iaci necesse est. Quarta additur, quae bene ornateque dicendi, quae didiceris aut cogitaveris, artem comprehendit, sive rhetorice, quam super illas quas dixi disciplinas imprimis accurate in scholis docendam esse nemo non intelligit. Linguis veteribus, graeca et latina, omne fundamentum historiae et rhetorices continetur, quibus adiungitur ad hunc ipsum usum germanica, nunquam sine honore appellanda. Iam vero si scholam litterariam, qualis haec nostra principum laudatissimorum iussu esse debet, quinque discipulorum classibus constare video, nam infimi ordines in hunc censum venire non possunt, propterea quod in iis non doctrina, sed institutio quaedam technica expetitur, quinque has classes ita videmur non inepte posse describere, ut in tribus inferioribus classibus grammatica utriusque linguae veteris binis quotidie lectionibus doceatur, totidem rerum naturalium notitia et causarum motuumque explicatio mathematica et physica tradatur. Neque enim verendum est, ne hanc

puerorum curiosa aetas percipere non possit, quippe pleraque iam fere experimentis ac figuris doceri solent, neque quicquam pueriles animos vehementius allicit, quam rerum, quae in sensus incidunt, certa quaedam explicatio. Huic curiosae cognitioni si postea addatur causarum et notionum accurata definitio, non poterit non animus inveniendi ac discendi studio excitari, qui frustra, si rerum deest copia, inani doctrina tentatur.

Grammaticae vero in superiore classe iure superstruitur historiae cognitio, veteris illius dico, graecae et romanae, cum ex ipsis rerum gestarum fontibus, Herodoto, Plutarcho, Livio, Velleio, Cicerone, scriptoribus probatissimis, altero post alterum, sicut rerum ordo postulat, legendis, ita ut lacunae, quas temporis brevitate oriri necesse sit, magistri quasi supplementis sarciantur, tum accurata et copiosa veteris historiae enarratione, una cum antiquitatum et terrarum locorumque situs descriptione. Quae res omnes cum latino sermone declarari possint, non opus est stili latini quae dicuntur exercitiis, quibus ne maiores quidem nostri egebant, cum sermone latino, eius rei vicario, uterentur.

Superest iam prima classis, cuius industria ac diligentia rhetoricis imprimis exercitationibus videtur esse continenda. Nam hanc ego disciplinam aegerrime patior tam diu a scholis nostris exulare, eam dico, quae, praeceptis et exemplis nixa, omnes rationes inveniendi, dividendi, eloquendi ornandique, figuras orationis, genera dicendi pertractet, et qui cuiusque usus sit, demonstret. Vellem novus aliquis Meierotto existeret, qui ex scriptoribus graecis, romanis, germanicis, gallicis, (hos enim iuvenis litterarum studiosus pari facilitate intelligere debet, certe velle debet intelligere,) exempla eloquentiae conquireret ac veteri illa rhetorum ratione disponeret. Hanc ego disciplinam imprimis putaverim primi ordinis tironibus aptam fore, mihi enim, nescio an fallar, sed dicam tamen quod sentio, germanica eloquentia et latina et quaevis alia una tantum atque eadem videtur esse, atque in omnibus linguis, modo grammaticam recte et ex ordine perceperis, verba provisam rem non invita sequi. Simul adolescenti explicentur Cicero et Demosthenes, Horatius et Euripides sive quis alius divinorum poetarum graecorum, demonstretur artificium rhetoricum, ars poetica, non futili ista ratione et saepe exagitata, ut parietes praeconiis euge, belle, pulchre, praeclare, circumsonent, sed sententiae vi proposita atque ex historiae naturaeque humanae cognitione explicata, quam illi apta sit oratio, non verbose enarretur, sed breviter significetur. Quaeretis fortasse, auditores humanissimi, quid iam interesse dicam inter hanc historicam et rhetoricam veterum interpretandorum rationem et grammaticam inferiori-

bus classibus aptam? Hoc interesse videtur, quod cum utraque verborum intellectus perfectus est, diversa accedit ipsius magistri explicatio. Qui grammaticam sequitur rationem, verborum constructiones premit, grammaticorum regulas repetit, fidemque illis singulis locis conciliat: qui historiam et eloquentiam docere voluerit, is non poterit in quavis periodo insistere, plures paginas coniunget, ad finem curret, causas et eventum rei indagabit ac demonstrabit, argumentandi rationes proponet, discipulos perpetuo, quo quidque pertineat, admonebit.

Et si cui forte indignum videatur, quod historiam et stili germanici exercitationes ab inferioribus classibus excludendas censeam, ei me confirmabo nequaquam illas res parvi aestimare, immo longe pluris quam ut rite et sicut mereantur cum pueris tractari posse videantur. Quid enim, auditores humanissimi? Placentne vobis pueruli de se suisque sententiis, quae nullae sunt, magnifice vel potius ridicule declamitantes? Accedit magister, reprehendit, corrigit, refutat, pinnas quasi evellit, scilicet ut pueri serio de rebus seriis scribere discant. At illi ante annos, priusquam rerum et praeceptorum copiam mente conceperint, recte scribere non discent, quoque ingenio plus valent, eo magis aut correctiones aspernabuntur, aut sibi diffidere incipient. Quin igitur suis sibi imaginibus et mentis puerilis delectamentis permittuntur, ne, quod pueritia habeat iucundissimum, amittant, et nimis mature adolescant.

Historiam vero, id est rerum gestarum cognitionem, tam video difficilem esse, ut in scholis nostris vix antiquam recte disci posse putem. Videtur enim inutilis esse, nisi causarum simul explicatio accedat, nisi fontium quaedam notitia adiungatur, nisi ingenium aetatis cuiusque intelligatur. Id quod perfici aliqua ratione potest in antiqua historia explicanda, nam praestantissimi scriptores a tironibus leguntur, antiquitates enarrantur, omnis cura magistrorum in eo consumitur, ut, quid a nostris diversum in antiquis linguis, moribus, institutis, ingeniis sit, recte intelligatur. Haec igitur fructuosa est rerum gestarum cognitio, et mirum quantum ad excolenda iuvenum ingenia prodest. Quid enim potest magis erudire et exercere, quam si, mente et cogitatione in longinquis temporibus defixus, excellentissimos homines consilia inire, agere ac pati videas, accurate intelligens, quid illud sit, quod suis laboribus expetant? Recentioris vero historiae in his scholis enarratio omni probatione caret: quotus enim quisque de fontibus et veris auctoribus cogitat aut anquirit? Causae plurimarum rerum ignorantur, nec nisi accurata diligentia investigantur: sed quod maximum esse mihi quidem videri solet, ipsae res, de quibus agitur, nervi atque artus omnis historiae, aut ab ipsis do-

ctoribus nondum exploratae sunt, aut pueris certe et adolescentibus proponi nequeunt. Nam oro quaesoque vos, auditores doctissimi, nisi historiam pueris pueriliter volumus tradere, id quod a gravitate institutionis publicae alienum videtur, quae res, quam graves, quam ad vitam publicam pertinentes, erunt attingendae, de iuribus principum et civitatum, de reditibus et vectigalibus publicis, de ordinum discrimine, de administranda summa republica, alia multa, quae quantopere puerorum captum superent, ita intelligo, ut in academiis recentioris historiae plenam et e fontibus ductam enarrationem omnibus iuvenibus, qui quidem aliquam aliquando reipublicae partem attingere velint, prorsus necessariam iisque adeo publica auctoritate commendandam existimem. In his scholis abunde mihi sufficere videtur, si primorum ordinum tirones regnorum ac civitatum origines, et regum familias earumque successiones didicerint, cetera privatae, si forte, lectioni relinquantur.

Quodsi temporis aliquid nobis supererit, quam ad rem potius adhibebimus, quam ad philosophiae quaedam fundamenta iacienda? Habemus illius quidem disciplinae praeclaram ac vere divinam vicariam, religionem sive theologiam, cuius partes aequum est omnium aetatum discipulis explicari, imprimis quantum ad cognoscendos libros sacros pertinet. Sed nescio tamen an huic institutioni doctrinam de moribus et summo bono, e veteribus philosophis petendam, et legendis praestantissimis libris Ciceronis de officiis et de finibus explicandam, adiungere debeamus. Excitandi enim sunt adolescentium animi et advertendi ad illas quaestiones, quibus recte diiudicandis omnis vitae honestas continetur. Unum vero imprimis adolescentibus nostris opus est, cum ad maturitatis aliquam spem pervenerint, ut ambitum universae doctrinae cognoscant, ut partes scientiae humanae, quibus fundamentis nitantur, quos fines habeant, quae adiumenta et praesidia discendi sint, intelligant, ne rudes huius scientiae, cum in academiam delati fuerint, suam illi quidem disciplinam factitent, sed ceteras litteras nihil ad se pertinere arbitrentur. Haec institutio et philosophica est et litteraria, qua ut bene praeparati adolescentes e scholis dimittantur, nemo non optare debet.

Ignoscite, auditores humanissimi, quod, dicendi studio abreptus, a regis optimi laudibus ad hanc scholasticam disputationem devenerim. Incalescit enim animus, quotiens de gravitate muneris scholastici et de officio magistri cogitans et cum collegis coniunctissimis colloquens, quid rex, quid civitas, quid litterae a nobis postulent, recordor: et in hoc die festo concelebrando, quae sparsim antea obversabantur animo, ea coniunctim menti sese offerunt. Gestit haec schola et hoc magistrorum collegium, cuius iussu et nomine in hunc

locum ascendi, regi ostendere, quantopere coniunctis viribus omnes allaboremus, ut eius liberalissimam voluntatem sanctissimaque consilia de adolescentibus omni doctrina erudiendis adiuvemus. Neque veremur, ne labores nostri eventu destituantur. Vita nostra in obscuro versetur, sed splendeat memoria discipulorum probitate, fide, constantia, doctrina; sic regi patriaeque, quod accepimus, largiter reddemus. Cumque nobis omnibus ita persuasum sit, neminem unquam fuisse regem civium suorum saluti tantopere deditum, quantopere Fridericum Wilhelmum III.: consentaneum est, ut, cum semper, tum hoc die ardentissimis precibus deum o. m. oremus, ut hunc regem nobis salvum esse velit, et ad extremae senectutis terminum integris animi corporisque viribus servet. Sed si quando deus illum naturae debitum reddere voluerit, at eundem animum, eandem erga cives voluntatem, regni heredi et heredibus inspiret, ne unquam hic populus virtutes regum suorum laetus praedicare desinat. Dixi.

ORATIO ADITIALIS PROFESSURAE EXTRAORDINARIAE HABITA. D. III. IAN. MDCCCXXIX.

Vetus hoc est institutum, auditores ornatissimi, et aliarum academiarum, et huius regiae litterarum sedis, ut, quicunque professorium munus suscipiant, se suaque studia et collegis doctissimis, et studiosis iuvenibus nostram disciplinam sequentibus oratione publica recitanda commendent. Quod cum nuper renovatum sit, non diffiteor initio mihi paulo gravius accidisse, non quin libenter in vestrum conspectum prodirem, sed quod animus ab omni ostentationis quamvis levi specie abhorrebat, malebamque me re et factis, quantulumcunque possem, ostendere, quam verbis, quae nimium saepe solent inania haberi. Veruntamen, quoniam ita fert amplissimi ordinis voluntas, parendum est eius auctoritati et communi legi satisfaciendum.

Sed ego quidem, cum antiquitatis eruditae me cupiam interpretem esse, antiquitatem ipsam et eius studium laudare coram vobis, humanissimis viris, supervacaneum puto. Quis est enim qui hoc quasi discidium litterarum omnium inducere velit, ut antiquitatis cognitionem a praesenti vita eiusque studiis diducat? Nonne hoc ipsum eius doctrinae, quam quisque vestrum aut excolit, aut expetit, proprium est, scire, non solum quid sit, sed quid fuerit, et quomodo factum sit, quidquid sit: posse earum artium litterarumque, quibus

delectamini, semina et incrementa et quasi successiones ex antiquitate repetere, et ex illo tamquam puro quodam fonte, si quid sordium contractum sit, eluere? Iam quid dicam de humanissima voluptate, cognosse, qua ratione, quibus consiliis olim nobiles populi res publicas constituerint, mores rexerint, deorum religiones coluerint, quemadmodum ingeniosi homines ingenitum sensum veri et pulchri et honesti artibus litterisque et inveniendis et excolendis protulerint! Itaque nemo unquam antiquitatem contempsit impune: huius studio brevitatem nostrae vitae cum toto saeculorum decursu compensamus, huius cognitione instructi ad singulares deinde artes cum fructu accedimus, huius denique scientia communi iudicio vere doctum censemus. Sed cum ita fere sapientium hominum consensus statuerit, et totius antiquitatis principatus ad Graecos et Romanos delatus sit, quippe qui proximi nobis sint, plurimaque artium honestarum genera excoluerint, iuvat tamen animum advertere, quà rationum diversitate haec studia inde a renatis litteris tractata sint, imprimis in academiis, quamquam ne inferiores quidem scholae unquam huiusmodi mutationum expertes fuerunt. Nimirum fieri hoc videmus in singulis disciplinis, ut earum ratio docendi discendique cum tempore mutetur: sed reliquarum tamen unus fere et certus quidam finis haberi solet, in his studiis, quibus vere dicere licet adolescentiam ali, iuventutem regi, senectutem oblectari, singula propemodum saecula habuerunt, quem proprie tamquam summum finem expeterent. Atque tantum abest, ut haec consiliorum varietas reprehendenda videatur, ut haec ipsa causa sit, cur antiquitatis cognitio tam plena tamque perfecta extiterit, sperarique debeat fore ut in dies magis illustretur latiusque pateat. Qua de re constitui breviter dicere, auditores humanissimi, ad eum finem, ut cum meminerimus quae maiores praeclare gesserint, et retinere veterem possessionem studeamus, et paratas laudes novis accessionibus cumulare nitamur.

Primis igitur illis temporibus, cum antiquarum litterarum monumenta a diuturno neglectu vindicata in lucem proferebantur, moxque saluberrima arte typographica inventa latius divulgabantur, ingens quaedam optimi cuiusque festinatio orta est. Quasi restinguenda esset sitis diu collecta, ita tum omnes, et imprimis Itali ad hosce fontes ferebantur, reclusae videbantur omnis eruditionis et elegantiae fores: nihil iam placebat nisi quod ex antiquitate repetitum esset: veterum studiorum magna commutatio facta est. Abiecta philosophia scholastica iterum Academici et Peripatetici et Stoici et Epicurei existebant, malebantque docti homines sic sese vocari, quam barbaris nominibus realistae vel nominalistae. Divi patres theologorum negligebantur, moralis philosophia ex antiquorum Graecorum et Romanorum libris

petebatur. Iureconsulti iam despiciebantur, nisi qui iuris antiqui periti essent. Grammaticorum imprimis scientia et sermonis Latini forma, quae tunc fuit, plane conversa est. Antea vix perceptis vulgaribus grammaticae compendiis, ita quisque et loquebatur, et scribebat, uti tum omnes loqui audiebat, sine cura verborum veterum, sine exemplo et auctoritate. Tum vero et aliorum veterum scriptorum, et imprimis Ciceronis libri vulgati omnes imitandi studio incenderant, neque quicquam tanta laude dignum habebatur, quanta illorum exemplo orationes vel epistolas posse componere. Admirantur saepe, qui hodie Latine scribere discunt, unde haec apud veteres illos tanta scribendi facultas nata sit. Hinc, unde omnis studiorum ratio tum pendebat, quod, qui antiquitatem cognoscebant, sese totos in antiquorum naturam transformare studebant. Fuit hic *amabilis mentium error,* ut poetae verbis abutar, ut omni discrimine sublato, veram antiquitatem sibi redditam putarent, ut dulci quodam somnio capti, ipsi esse antiqui viderentur, ut veterum mores, res publicas et privatas suas esse putarent, praedicarent, effingerent, restituere conarentur. Atque hac vehementi cupiditate, sive furore potius, opus fuit, ut ingentes superarentur difficultates, quibus obsepta erat antiquarum litterarum cognitio, ignorantia linguae Graecae, pessima librorum condicio (quae talis est ut interdum mirari subeat, quo pacto illi vel minimum intellexerint), superstitionum omnis generis gravissima cohors.

Sed vertit tamen hic rerum status: recentior aetas sui admonuit, discrimen rerum antiquarum et recentiorum quantum esset, intellectum est. Ipsa Italia, parens liberalium artium veterisque doctrinae, barbarorum armis capta et oppressa, mutatum esse rerum ordinem, sublatum imperium Romanum, deos ipsos abalienatos sensit.

Tum primum, quae vere doctrina rerum antiquarum dici posset, orta est et operosa eruditio sub dimidium ferme saeculi sexti decimi. Quae priores illi magis sensu quodam incerto perceperant, iam conquirebantur studiose, et diligenter examinabantur, rerum verborumque diiudicatrix critica inventa est. Cumque etiamtum omnes ita persuasum haberent, non posse rerum litterarumque praesentium statum, quamvis et ipse cura dignissimus esset, intelligi, nisi quis antiquitatis cognitione mentem imbuisset, summo studio ad monumenta historiae veteris incumbebant, rerum publicarum formas illustrabant, iura civium et magistratuum perpendebant. Quid multa? generose quodammodo antiquitatis studia ad res gerendas adhibebant, ex iisque non vanam antique scribendi delectationem, sed rerum gerendarum auctoritates et exempla petebant. Neque illi tamen verba negligebant, sed sagacissimis emendationibus veterum libros ab igno-

rantiae pristinae vestigiis liberabant, cumque apud superiores elegantia Latini sermonis, quamquam rerum nuda, summopere expetita et unice culta esset, hi rerum pondere addito, bene tamen et ipsi scribebant.

Haec igitur aetas fuit, qua philologia, ut recepto utar nomine, maxime floruit, qua heroes illi veteris doctrinae, Sigonius, Muretus, Lipsius, Scaliger, Stephanus, Casaubonus, Salmasius, Vossius, alii, antiquitatem docendo scribendoque illustrarunt. Tum reliquae disciplinae, quae aliquam cum antiquitate coniunctionem habent, theologia, iuris privati et publici peritia, philosophia, ex his fontibus maxime crescebant, dum, qui ad eas incumbebant, antiquitatis plena cognitione instructi, libere ingenia sua quoquoversus conferebant, Grotius, Cuiacius, Gothofredus, Brissonius, Baco, Thuanus, alii. Neque enim tum scholae angustiis haec studia continebantur, sed libere per omnes et artis et hominum ordines diffundebantur, in lucem prodibant, ad rem publicam gerendam cum utilia, tum necessaria censebantur.

Sed accidit versus medium saeculum septimum decimum, ut antiquitatis studia de gradu magnopere delaberentur. Neque me fallit, eandem tum fuisse reliquarum litterarum fortunam et communem causam: sed certo me libenter spatio, ne longius evagetur oratio, contineo. Accidit igitur, ut antiquitatis cognitio per exiguos et aridos compendiorum rivulos diduceretur, utque homines docti minus studiose ad augendam doctrinam incumberent, quam solliciti de veteri retinenda cogitarent. Ars critica verborum, quam superiores a rerum cognitione non separaverant, in desuetudinem venit: verborum cura nulla erat: rerum cognitio nuda quaerebatur. Qui tum veteres scriptores commentariis illustrabant, aut ex maioribus libris notulas quasdam antiquarias excerpebant, aut observationes politicas, quas nominabant, corrasis undique exemplis similiter factorum, cumulabant, aut, si qui forte viam ad eloquentiam commonstrare vellent, rhetoricas figuras notabant, applicabant, contorquebant, totumque apparatum scientiae nihil profuturae magno molimine profundebant. Veruntamen quid effectum reperimus, auditores humanissimi? Quo studiosius illi politicis hominibus inservire sese velle dicebant, eo pertinacius hi talem cibum aversabantur et irridebant: quanto laboriosius rhetoricis exercitationibus ingenium adiuvabant, eo vitiosior et ineptior in dies sermo latinus fiebat. Atque illi tamen totius sibi antiquitatis compotes videbantur. Condiderant enim in horreis quibusdam, sive thesauris sive lexicis ingentis formae, totam antiquitatis materiem: volumine gaudebant, ipso lumine carentes. Nimirum ars parva dictu, sed admirabilis effectu, perierat, ipsa intelligendi recte ratio, quae cum a verbis proficiscatur, pertinet tamen vel maxime ad res.

Hinc nova qaedam barbaries et antiquitatem ipsam et inventa superiorum obruisset, nisi diversa studiorum via inita Batavia libera et propinqua Britannia, criticam artem, si minus invenissent, certe singulari studio rursus excolere coepissent. Huius artis haec erat vis, ut, quae adhuc certa et indubitata visa essent, in dubium revocarentur, examini subiicerentur subtili, omnibus modis excuterentur. Et res quidem ipsae cum abunde pertractatae viderentur, sicuti fieri solet, ubi taedium alicuius rationis oritur, omittebantur propemodum: verba scriptorum examinabantur. Neque hoc iniuria, nam haec priusquam explorata recteque percepta sint, rerum cognitio manca et debilis est.

Quid pluribus persequar, auditores humanissimi, quae in promptu sunt? Extitit denuo nobile certamen ingeniorum, primum in Batavia, quo etiam ex Germania nostra certatim migrabant, quicunque politicam istam scientiam rerumque antiquarum caecam congeriem perhorrescebant, deinde in Britannia, ubi magnus Bentleyus ad hanc rationem illustrandam divinum ingenium contulit. Et cum Batavi maxime significationes et constructiones verborum explorarent, et ex ingenti variantium lectionum apparatu definirent, quid latine, quid barbare, quid recte, quid vitiose dictum esset, Britanni, quo valent, ingenii acumen adhibebant ad diiudicandum, quid apte, venuste, concinne aut diceretur aut dici deberet: utrique omnem et doctrinam et sagacitatem ad emendandos et expoliendos scriptores conferebant.

Quae ratio cum in Germaniam aliquanto post transvecta esset, studiosos quidem sui invenit haud paucos, neminem autem tam felici praeditum ingenio, quam eum, cuius mortem luxit ante hos quattuor annos et dimidium haec urbs et haec academia, Frid. Aug. Wolfium. Cuius viri vel memoriam apud eos, qui cognoverunt, renovare, vel admirationem his, quibus per aetatem non licuit cum eo versari, commendare utinam, sicut animus cupit, ita vel angustiae temporis, vel oratio non hac una de re suscepta, paterentur! Nunc reliquis viri desideratissimi mihique cum paucis aliquot annorum consuetudine coniunctissimi, laudibus omissis, de disciplina eius cum cogito, Wolfium intelligo non magis Batavorum illa grammatica eruditione, nec Heinsiana vel Bentleyana in poetis expoliendis admirabili facultate praestitisse, quam subtilitate iudicii, qua cuiusque scriptoris ingenium, cogitandi sentiendique rationem, dicendi quasi habitum tam tenuiter tamque perspicue persequeretur, ut, qui vel exiguam alicuius scriptoris particulam a Wolfio enarratam audissent, totum sese scriptorem cognosse non iniuria putarent. Sunt haud dubie vestrum, auditores ornatissimi, aliquam multi, qui summa cum voluptate grataque recordatione meminerint, quam subtiliter ille generosam Homeri

simplicitatem descripserit, Ciceronis in libris philosophicis consularem philosophandi necessitatem exegerit, Taciti aculeatam orationem explicarit, Horatii argutam elegantiam demonstrarit. Neque alia ratione latine scribendi artem docuit. Non ille flosculos oratorios componere, non sententias venari, figuras imitari aut didicerat ipse, aut docebat alios; sed acre tersumque iudicium adhibebat, ut in alienis vitiis, qui cum eo versarentur, cognoscerent et caverent, quicquid inepte, affectate, corrupte diceretur. Cumque haec omnia admirabili cum lepore non diceret tantum, sed ageret etiam et repraesentaret; cum ad accuratam linguae Graecae et Latinae cognitionem adiungeret Germanicae non vulgarem facultatem, perfecit Wolfius, ut litterarum antiquarum studium denuo liberalis institutio doctrinae haberetur, et sicut olim rerum antiquarum cognitio necessaria censebatur, si quis magnifice de rebus divinis atque humanis sentire, rebusque civilibus aptus fieri vellet, ita tum nemo doctus existimaretur, nisi qui his verborum studiis probe exercitatus esset.

Atque haec quidem hactenus, auditores humanissimi. Sed quid tandem, quid nobis iunioribus et nostro saeculo relictum dicimus? Nihilne aliud, nisi ut vestigiis superiorum, quamvis excellentium hominum, ingrediamur? Di meliora! nam nisi quid ipsi afferre possemus, actum esset illico de omni disciplina! Iam vero, si quis sic intueatur, nihil propius esse videatur, quam ut illa mentis et acuminis exercitatio critica de verbis et orationis forma, denuo, quasi orbe confecto, referatur ad res antiquas accuratius illustrandas, quae iam nimis diu, sicut a prioribus illis erant relictae, ita quasi per manus tradebantur secure? Atque sic sane videtur. Nam quid aetatis nostrae tam proprium putatis esse, quam quod singulae antiquitatis partes, quae ad res publice gestas, quae ad mores et instituta populorum, ad incrementa litterarum, ad religiones, ad situm terrarum et urbium, veterumque monumentorum reliquias pertinent, tanto rursus studio pertractari coeperunt, ut, quae paulo ante in verborum diiudicatione exercebatur industria, huc iam videatur omnis esse collata? Itaque certatim repetuntur a philologis quae regiones disciplinae iam in aliorum quasi possessionem cessisse videbantur, mythologia, geographia, chronologia, archaeologia, antiquitates civiles, tota denique historia: et liberaliter eorum adiuvantur studia a viris meritissimis, qui cum ipsi philologos sese non profiteaetur, plurimum tamen hisce studiis adiumenti praestant. Atque laetor equidem intimis sensibus, hanc urbem et hanc ipsam academiam, quae, cum primum nasceretur, Wolfiani florem ingenii vidit, iterum iam huius quoque rationis principes auctores aut fovisse aut etiamnunc fovere, quorum illustrissimis nominibus abstineo, ne quis iniquior adulari me

velle putet, eoque facilius abstinere possum, quod haec me dicere video intelligentibus, non quibus illud occini debeat: felices, sua si bona nossent.

Veruntamen quid est, quod nonnulli continuo queri coeperunt, desciscere vulgo homines a superiore verborum accuratione, delabi ab elegantia sermonis ad barbarum et soloecum dicendi genus, altius efferri velle, sed ruere in deterius? Primum nolite mirari, auditores humanissimi, quod ubique fieri solet, ubi diversae rationes quasi confligere videntur. Verum hoc illud est, quo tota concluditur oratio mea, non videri nostrum saeculum illud esse, neque esse debere, quod inconsulta quadam cupidine alterutram rationem amplectatur, sed quod utramque coniungat. Neque haec mens est eorum, quos tamquam statores disciplinae veneramur, ut in rerum, quae dicuntur, exquirendarum studio omnis industria consumatur, verborum cura, et acre iudicium, et elegantia scribendi negligatur: neque talia sui documenta dederunt illustrissima. Imperatores enim periti omnibus armis, prout locus et opportunitas postulat, utuntur, et sicut inglorium est, nihil ipsum novi attulisse ad augendam doctrinam, ita turpe habetur merito, remittere quicquam de veteri laudis possessione. Quod olim scriptor antiquus civitatium rectores luculenter monuit, concordia res parvas crescere, discordia maximas dilabi, id opportune cum ad alia, tum ad haec studia transferri potest.

Atque tantum abest, ut vere periculum aliquod portendi hisce litteris videatur, ut ipsa verborum cura, quam aegre ferunt imminui, nunc demum industria multorum illud fundamentum reppererit, quo diu caruit, fideliter congestos ex omnibus Europae bibliothecis variantium lectionum thesauros, ut plerisque in rebus iam non suspicari et divinare, sed scire et certo constituere possimus. Quid quod alia quaedam ars, laboriosa sine dubio et difficilis, sed si recte administretur fructuosissima, nunc item florere coepit, multorumque studia movit, quae tota versatur in verbis, grammaticam dico, non illam vulgarem, quae centies dicta recantet, sed quae ad ipsos fontes ascendat, rationes indaget, linguarum recessus penetret. Huc iam conferuntur et porro conferenda sunt, quae maiores nostri de singulis verbis et locutionibus passim, et interdum verbosius quam verius annotarunt, hic certabit subtilitas cum subtilitate, sed regnabit veritas et doctrina. Neque hoc studium uno scriptorum genere vel una aetate terminetur, sed pertineat ad omnia litterarum monumenta, propaget sese in ultimam antiquitatem, ne vetustissimam quidem linguam Indicam aspernetur, si quid ex ea, quod certe multum esse docet eius interpres doctissimus, ad intelligendam humani sermonis indolem peti potest.

Itaque, quod deus bene vertat, commilitones, agite, incumbite, ingurgitate vos in doctrinam antiquitatis. Quamvis multa doctorum hominum ingeniis perfecta sint, tamen non minus multa sunt, quae nostram industriam postulent. Neque rerum cognitio adhuc ita absoluta est, ut illam, quam desiderant omnes, plenam antiquorum temporum historiam habeamus: immo haec nostrae disciplinae pars exulat quodammodo et aliena possessione continetur: neque verborum doctrina sic locupletata est, ut omnia pateant possintque in certum disciplinae ordinem orbemque redigi. Atque si haec omnia perfecta sint, accedat oportet philosophica contemplatio, quae dispersa congreget, et in unum conspectum divinae rationis colligat. Hoc quam non unius hominis sit, nec unius aetatis, facile est videre. Invitant ad sacra sua litterae diversissima hominum ingenia, quorum omnium successione et mutuo subsidio nascitur illud eximium, quod intelligimus mente, revera quamvis non assequamur, assequi tamen velle debemus. Dixi.

ORATIO ADITIALIS PROFESSURAE ORDINARIAE LITT. LAT. HABITA D. XXVI. M. IUL. MDCCCXXXVII.

Est hoc in more positum, viri illustrissimi, collegae doctissimi, iuvenes ornatissimi, ut, qui aut primum ad munus professorium accedant, aut locum mutent, orationem habeant publicam, eoque sollemni exordio officii rite gerendi utantur. Cuius veteris instituti, in nostra universitate renovati, causa partim communis videtur esse, ne quod negotium sine praefatione sollemni et quasi religiosa incipiatur, partim propria olim fuit in hac docendi provincia, ut recens professor primo statim aditu publice exponeret, quid sibi in disciplina pertractanda proposuisset, qua via docendi usurus esset, quid consequi vellet. Etenim institutum hoc est illa aetate, qua pleraque oratione conficiebantur, ipsique professores frequenter migrabant: qui cum in aliam universitatem venissent, necesse fere putabant se suamque disciplinam commendare ignotis. Hac quidem aetate in tanta litterarum luce et scribendi publicandique industria, cum nemo fere, nisi qui aut longa docendi industria aut libris in publicum editis abunde cognitus sit, in hunc locum promoveatur, minus id necessarium videtur. Sed necessitatis causa sublata dignitatis tamen ratio mansit: iudicatumque est decere in universitate nostra, quavis occasione iuvenum

aures disputationibus de rebus ad doctrinam pertinentibus circumsonare. Itaque cum mihi in cathedra ordinaria litterarum Latinarum posito, sollemnis oratio habenda esset, constitui de finibus et ambitu disciplinae philologicae eiusque discendae ac docendae ratione disserere, id argumentum conventui iuvenum studiosorum, quem congregatum viderem, maxime convenire ratus. Versatur enim hac aetate caecus quidam dissensus inter huius disciplinae studiosos, dum alii alias eius studii partes praeferunt, deque earum praestantia ac principatu inter se contendunt. Hunc ego dissensum, si ad ullam partem contemnendam ac negligendam pertineat, perniciosum et omni ratione tollendum censeo: nec ego solum censeo, sed omni aetate, qui praestantissimi et sunt et fuerunt disciplinae nostrae auctores, censuisse video. Sed fieri solet, ut, quae re vera studiorum varietas in excolendis universae disciplinae partibus, et verborum dissensus in finibus eius constituendis esse potest, a tironibus imperite ad rerum discrepantiam transferatur, et ab ignavis malevolisque asseclis ad invidiam alteris utris faciendam convertatur. Quibus puto acclamandum esse illud Horatianum

Non isto vivitur hic
Quo tu rere modo.

Etenim quo quisque diligentius ac fructuosius in agro suo colendo versatur, eo manifestius intelligit, ne vicini quidem agrum vepribus ac sentibus sordere posse, quin suus contagione malorum inficiatur. Sunt autem hi omnes agri unius magnae ac latae regionis, nec inter se muris fossisque separati.

Nam philologia quaenam sit disciplina, si quaeritur, non video equidem ab omnibus unam eandemque definitionem proponi, sed tamen quas puto consociari posse. Traditur enim fere in libris ea de re scriptis, esse antiquitatis Graecae et Romanae cognitionem, ita ut ab aliis pro philologiae nomine substituatur etiam hoc, ut antiquitatis scientia appelletur, omissa quorum sit populorum mentione; eam ob causam opinor, quod reliquorum antiquorum populorum, praeter Indos longe separatos, cognitio, partim manca et debilis sit, partim cum Graecis Romanisque plerisque in rebus coniungatur.

Eam ego definitionem non possum non parum accuratam putare. Incidit enim in historiam. Vero, aiunt, itaque philologus, quem dicimus, historicus est, eius quidem aetatis, quam antiquitatem vocamus. At nemo illis nominibus sic utitur, et philologum alium quendam intelligunt. Neque enim archaeologum, quem dicimus, aut numismaticum, quamvis et ipsi antiquitatis peritissimi esse debeant, quatenus agunt quod ipsorum est muneris, aut historicos aut philologos appellamus. Contra cum invaluerit iam mos, ut aliquos philologos

Orientales, aut Hebraeos, aut Indicos, aut Germanicos appellemus; neminem, qui vel accuratissime historiam Germanorum, ut hoc utar, perdidicerit, eam ob causam philologum Germanicum dicimus. Apparet igitur, philologo, quem nos quaerimus, praeter universam illam antiquitatis cognitionem, qua eum instructum esse debere minime omnium nego, proprium quoddam officium attribui nimirum cognoscendorum, et, quatenus artem exercet, explicandorum veterum scriptorum Graecorum et Latinorum, nec solum scriptorum, sed omnino omnium monumentorum litteris consignatorum.

Nolite putare, auditores, me disciplinae honorem imminuere, si philologiam negem eandem esse atque historiam antiquam. Nam si historiam communi sensu intelligimus eam disciplinam, quae cognitionem et explicationem rerum publice gestarum comprehendat: ea instrumentum esse debet philologo, sicut ipsa non comparatur nisi philologi auxilio. Si vero sensu latissimo ac philosopho intelligatis historiam, rerum omnium, quae aliqua aetate acciderunt, plenam ac perfectam causis effectibusque vinctam cognitionem, sine dubio, quoniam etiam scriptores aliqua aetate vixerunt, cogitarunt, scripserunt, interior philologiae pars historia continebitur: verum ne sic quidem philologia non habebit, in quo proprie elaboret, quippe cui contemplatio ac tractatio illorum operum, reliquo argumento seposito, supersit critica, grammatica, rhetorica, aesthetica.

Intelligentiam autem veterum monumentorum illius generis, quam censeo philologiae propositam esse, dico perfectam et absolutam (quatenus id vetustatis ratio et ingenii humani imbecillitas patitur), ut mentem et consilium scriptoris perspiciamus, vitam moresque et doctrinam norimus, sermonis usum, artem rhetoricam aut poeticam teneamus, prorsus sic, ut cum ipso cogitare ac scribere nobis videamur.

Talem cognitionem veterum scriptorum non sine multiplici doctrina nec sine universa illa antiquitatis cognitione, quem alii finem esse philologiae statuunt, absolvi posse, facile patet. Itaque illa verborum magis contentio est, qua nemo abutetur, nisi qui suarum virium tenuitatem et exiguitatem propositi falso rationis cuiusdam male intellectae nomine abscondere velit. Res propemodum eadem erit: neque quisquam universam antiquitatis scientiam sine perfecta cognitione scriptorum comparabit, neque ullum paulo graviorem scriptorem sine illa generali antiquitatis cognitione intelliget et explicabit. Quamquam illa contentio, si qua est, commode videtur ipsa consuetudine universitatum tolli posse, quoniam, quos vita communis fere philologos vocat, universitates non sic, sed aut antiquarum aut Graecarum Latinarumque litterarum professores rite vocare solent. Hae igitur

litterae sunt, in quibus philologia versetur, quarum cognitio ita amplificari et exacui debet, ut perfecta totius antiquitatis scientia nascatur.

Scriptorum igitur veterum eorumque monumentorum partim forma considerari potest, partim argumentum. Formam contemplatur aut criticus, aut grammaticus, aut metricus; res et argumentum expendit aut philosophus, aut historicus, aut rerum naturalium peritus. Philologum, quem ratio quaerit, cui perfecta operum illorum intelligentia proposita est, oportet ex his omnibus aequaliter compositum et quasi conflatum esse, si totum nominis huius honorem mereatur. At id quidem, dixerit quispiam, natura et imbecillitas humana non patitur. Quamquam nescio quidem an patiatur, modo valetudo et vita et fortuna suppetat, quales et olim fuerunt nonnulli heroes, Scaliger, Casaubonus, Salmasius, Bentleyus, et sunt fortasse etiamnunc. Veruntamen non hoc quaeritur hoc loco. Ars nunquam non pluris est, quam artifex. Tantum intelligitur, immensam esse professionem perfecti philologi, cuius si quis non omnes partes explere potuerit, sed in una et altera et pluribus, ubi opus fuerit, elaboret, operae tamen pretium faciet, si materiam viribus aequam elegerit, neque reliquas partes contemnat, sed in subsidium vocet. Et bonum factum, quod in tot diversis scriptoribus veteribus alius aliam partem disciplinae prae ceteris requirit. Omnes quidem constat criticam et grammaticam et metricam, si poetae sunt, postulare; neque tamen ullius scriptoris intelligentia et explicatio his solis disciplinae partibus, quae ad formam monumentorum pertinent, recte absolvitur.

Sed hic et singulorum hominum et aetatum dissensus quidam apparet. Nam quemadmodum nunc reperiuntur, qui huic aut illi parti, in qua naturae beneficio aut diuturna exercitatione excellant, principatum tribuant, totamque disciplinam ea contineri falso plerumque putent: sic aetates et suos quaeque scriptores reliquaque monumentorum genera habebat, in quibus prae ceteris elaboraret, et suam quandam artis exercendae rationem probabat, alias negligebat atque adeo contemnebat.

Operae pretium est, auditores humanissimi, eam opinionum varietatem ac vicissitudinem considerare, quo certius cognoscatis, quid nostra a nobis aetas postulet ac desideret.

Nam cum nobili certamine saeculo quinto decimo veteres scriptores partim e tenebris in lucem protracti, partim e misera Graecia in Italiam traducti essent, eoque pacto philologiae studium, quod non intermissum quidem unquam fuerat, sed tamen lente tabuerat, renovatum esset: omnium studia flagrantissima primum ad imitandam orationis elegantiam ferebantur: rhetorica et poetica tractatio flore-

bat: philologus nemo tum censebatur, nisi qui Graece Latineque et loqui copiose et scribere eleganter et versus componere posset: imprimis autem Latina facundia ceteris fere artibus longe praeferebatur, adeo ut vetus Latium in Italia et Gallia et vero etiam Germania revocatum videretur.

Evanuit paulatim ille fervor ingeniorum, non quin illud pulchrum semper et elegans haberetur, sed tamen mox alia maiora et magis expetenda ducebantur. Effloruit circa medium saeculum sextum decimum alia eruditior ratio veterum monumentorum tractandorum. Desiterant homines a caeco illo imitandi studio: satis exercitatae erant vires quasi adolescentium: revocari posse antiquitatem in vitam moresque nostros desperaverant: sed percipere eius diversitatem et intelligere et exponere praestantiam studebant. *Historica* veterum scriptorum tractandi ratio vigere coepit, non dico ignavam istam, quae saepe nunc nobili historiae nomine abusa, in repetenda rerum olim gestarum memoria occupatur, sed acrem illam penitus sese insinuantem in rationes causasque rerum publicarum, legum, institutorum, et ingenti rerum materia ex omnibus artibus et disciplinis instructam, ad interpretanda veterum monumenta accedentem, aut rerum antiquarum doctrinam ex ipsis fontibus explicantem, nec lumine eruditionis, critica, quantum tum res ferebant, destitutam. Illam rationem philologiae factitandae dico, qua Sigonius, Turnebus, Lambinus, Lipsius, Scaliger, Casaubonus, Salmasius, Meursius, Vossius, Grotius, Gothofredus aliique multi illis voluntate atque industria pares, ingenio inferiores excelluerunt, quorum laboribus quicquid ad historiam et antiquitates et variam doctrinam veterem pertinet, insigniter excultum posterisque traditum est.

Mutata est illa quoque ratio, quamquam non in melius. Vix enim videtur fieri potuisse, ut praestantissima ratione illico praestantior inveniretur. Etenim depravari coepit circa medium saeculum septimum decimum, aut paulo ante, ingeniosa illa et ampla et magnifica philologiae exercendae ratio: cumque homines vix iam sibi viderentur novi quicquam invenire posse, satis habebant quae a prioribus inventa fuerant, in lexica, tamquam in horrea, constipare, unde rursus, si quid in singulis scriptoribus explicandis opus esset, crudum, nudum, quod aiunt, depromerent.

Ipsi scriptores veteres tenuiter ac ieiune, sed tamen, ut homines sibi persuadebant, tum demum utiliter tractabantur, dum sententias morales ac politicas, quas dicebant, ad usum scilicet principum virorum et civitates regentium excerpebant et explicabant, artem autem et divinum ingenium scriptorum, verumque rerum intellectum neglegebant. Critica ars prorsus in desuetudinem venerat: littera scripta

sacra et inviolata erat. Quid vero quod illa aetate Graeci scriptores, illustrissima pars philologiae, neglecti iacebant, a publicis scholis paene exclusi, nec nisi a paucis et fere theologis dicis causa culti? Neque tamen ullo tempore plures dissertationes de rebus, quas vocant antiquarii maxime generis, scriptas invenietis, auditores, sed destitutas fere lumine critico, et alienas ab universa illa cognitione antiquitatis, quae sicut non nascitur, nisi te in medium pelagus veteris doctrinae inieceris, ita etiam in minima re pertractanda emergit. Non equidem negarim, etiam illa aetate fuisse, qui prioribus illis, summis viris, nec ingenio nec eruditione cederent: sed illi et pauci erant, nec fere nisi in Batavia, benigna tum nutrice studiorum, et, in quo maxime saeculi ingenium agnoscas, honore fere et assensu carentes: sicuti novimus Io. Fr. Gronovium, accuratissimum criticum, paucitate discipulorum desertum fuisse, cum Boxhornii et Pitisci celebritate florerent.

Novo genere disciplinae opus fuit, ut studia languentia excitarentur, idque, non dicam inventum est (nam a principibus quibusque philologis nulla non aetate aut omnes simul disciplinae partes, aut illae, quibus in quaque re opus fuit, exercitatae sunt), sed singulari tamen et egregia exercendi ratione in vitam quasi revocatum est a Richardo Bentleyo Britanno. Nam huius viri admirabili sagacitate, quod maxime illa aetas desiderabat, critica ratio hominibus commendari coepit, non tam illa, quae praecipue in fide veterum exemplarium exploranda versatur, sed quae grammaticae et metricae scientiae viribus instructa, facultate recte sentiendi et acute disputandi de iis, quae quoque loco conveniant, totam sese ad tollendas librariorum et interpolatorum fraudes intendit.

Qua ratione inventa et exculta mirum est quanta paulatim scientiae conversio secuta sit. Nam cum homines certissimis auctoritatibus fidem derogare docerentur, cum iis, quibus antea assueti fuerant, et suis quasi oculis diffidere cogerentur, ad aeternam mentis humanae normam revocarentur, imprimis tota illa moles veteris historiae operose congesta, cum multis in rebus falsa et corrupta inventa esset, in contemptum venit, videbaturque nihil scire melius esse quam falsa scire. Quid enim fieret, si integri libri, quos priora saecula tamquam certissima antiquitatis monumenta suspexissent, evincerentur fraudulentiae, qualia criticae documenta insignia Bentleyus et Marklandus, eorumque mox aemuli in Batavia et Germania dederunt. Nimirum nova philologiae forma cito Britanniae fines evagata, in Bataviam propagata est, et Germaniam nostram excitavit antea, heu nimis diu, sanguinolentis theologorum rixis laceratam. Quid quod in hac terra tamquam alma studiorum parente. propriam quandam sedem reppe-

rit, cum Britanni denuo philologiae studia in angustos fines contraxissent, Batavique elanguissent! In patriam, inquam, nostram subtilis illa criticae factitandae ratio non solum recepta est, sed Wolfii imprimis, eiusque aut aemulorum aut discipulorum ingeniis latissime explicata tantoque honore aucta est, ut philologi iam fere communi vocabulo critici vocarentur.

Nec tamen eodem loco res stetit, aut stare debuit. Iam enim accedo ad nostrae aetatis partes, auditores. Sensimus nimirum ipsi, criticam illam philologiae factitandae rationem non amplius explere potuisse hominum studia. Satis videbantur ingenia exercitata esse illis disputationum acuminibus, quibus tandem aliquando, longo quidem sed utilissimo circuitu, ad illud deducti eramus, ut suum honorem etiam opinionum constantiae habendum esse, nec fere falsa esse, quae incredibilia demonstrarenter, intelligeremus. In verborum crisi plurimum dandum esse fidei exemplarium non vanae, sed exploratae, cognovimus: istis pulchri rectique opinionibus diffidere didicimus: grammatica scientia praeter regulas generales etiam exceptionum ludibria in ordinem redigere coepit.

Quid multa? Satis iam fere progymnasmatis quibusdam exculti videmur, et rursus nos in cognitionem rerum antiquarum immergere cupimus. Videtis, quanto studio certatim historia populorum antiquorum exploretur, quanta curiositate ad cognoscendas antiquitates Graecas Romanasque ferantur, quanto acumine philosophia Graeca ex fontibus non modo patentibus, sed remotissimis repetatur, quanta subtilitate genera ac formae litterarum antiquarum explicentur, quanto studio etiam artificiorum veterum reliquiae examinentur. Rerum naturalium scientia ad explicandam antiquitatem relata, et technologiae veteris cognitio solae adhuc desunt, sed hae quoque iam desiderantur nec sine cultoribus manebunt, cuius rei non exiguos fructus ad absolvendam illam, quam quaerimus, totius antiquitatis cognitionem nobis pollicemur. Non vereor, auditores humanissimi, ne adulari me velle nobis nostrisque collegis existimetis. Sed nimirum dicendum est, quod verum est, vosque mihi assentiemini. Hunc ego novum fervorem explorandae antiquitatis non solum in Germania genitum dico, sed in hac urbe et intra huius universitatis parietes natum et exertum dico. Nominibus viventium abstineo invitus: sed de mortuis praedicare licet. Wolfium intra hos parietes docentem et Bentleyana acumina Bentleyana sagacitate depugnantem audivimus: Buttmanni acutissimas de analogia et anomalia grammaticae Graecae disputationes hic natas novimus: Niebuhrium hic facem Scaligero, quem penitus venerabatur, dignam efferre vidimus ad illustrandas

historiae Romanae tenebras: Hegelium audivimus exquisitam Graecae antiquitatis, qua pollebat, intelligentiam, ad evolvendas antiquorum populorum notiones et subtiliter describendas philosophorum generationes, definiendasque artium et litterarum formas adhibere: neque te debita laude hac in re fraudabo, placidum caput senile, Hirti, qui accuratam veterum artium cognitionem, non magis ipsis monumentis contemplandis et examinandis, quam multiplici scriptorum lectione haustam, rursus ad exornandam philologiam contulisti.

Atque haec quidem sic se habent. Non facile alia aetate felicius effloruisse et in plerasque partes aequabiliter sese effudisse philologiae studium dico: atque hunc florem disciplinae contendo unice ex coniunctione criticae rationis cum rerum antiquarum studio natum et procreatum esse.

Veruntamen, dixerit quispiam, quid est, quod initio de quibusdam philologorum inter se contentionibus iacuisti? Illud est, quod a nostra universitate et a nostro coetu, sicut nunc quidem abest, ita in posterum longe censeo abesse debere: quod si quando invaserit, rursus hunc philologiae florem pessum iturum persuasum est.

Videtis enim veram philologiam diversissimis partibus constare, quarum nulla contemni prae altera potest, quin tota disciplina illico detrimentum sentiat. Quid enim? Ut a capite incipiam, qui Graecas et Latinas litteras dissociant, quales nunc non raro audimus, qui Latinas contemnant, Graecas unice a sese diligi dicant: quantum flagitium committant apparere puto. Primum enim, quae una est decursu suo antiquitas, eam dirimunt: et quae historia hoc singulare ac magnificum habet, ut a prima generis humani pueritia usque ad decrepitam senectutem ordine explicari possit, eius partem tantum degustant. Deinde quamvis non equidem negaverim, sicut posteriora tempora intelligere prorsus non possis nisi cum priora perdidiceris, ita priora quidem quodammodo cognosci posse, neglectis quae postea fuerunt: tamen nulla ne postremae quidem antiquitatis pars est, quae non veteris doctrinae et elegantiae vestigiis abundet: neque quisquam Ammianum Marcellinum aut Macrobium, extremi temporis scriptores, contempserit, quin in aliqua parte adamatae illius aetatis laboret. Deinde cum nostra aetas artissimis vinculis cum Romana antiquitate cohaereat, cum instituta, leges, monumenta, ipsa vocabula oculis memoriaeque nostrae insideant, quis est qui propiora, unde gradus ad remotiora fiat, impune se posse negligere putet? Tum sequitur etiam hoc, quod nonnunquam factum doluimus, ut, cum quidam sese dicant a Romanis rebus abhorrere, nec nisi cum Graecis habitare velle, plane desciscant ab usu linguae Latinae turpiterque

balbutientes a pueris irrideantur, totamque professionem infament. Sed non necesse est plura de eiusmodi perversitate dicam. Nimis manifesta res est.

Altera cautio est, ne dum res a veteribus traditae pertractantur (id quod antea huius nostrae aetatis denuo opus quoddam proprium esse dixi) et dum rerum gestarum, antiquitatum Graecarum et Romanarum, geographiae, archaeologiae, philosophiae antiquae, mythologiae disciplinae ordine explicatae perdiscuntur, ipsi scriptores nenegligantur eorumque interpretandorum ars et exercitatio omittatur, qua imprimis critica et grammatica continetur. Nimis enim facilis iuvenum ad altiora tendentium error est, posse sese supersedere interpretatione scriptorum, quam scilicet abunde in scholis minoribus exercuerint: atque alitur etiam ista falsa opinio, dum recordantur quot et quanta nomina auctorum dudum sibi cognita sint: lectos sibi in schola esse Platonem, Sophoclem, Thucydidem; Ciceronem autem, Horatium, Tacitum in sucum quasi et sanguinem conversos. Itaque tempus esse putant relinquere tenuem illum victum, coenulam frustulis concisam, liquorem gultatim instillatum: abiicere inferiora et pleno quodam haustu res ipsas ingurgitare conantur. Quid enim? aiunt. Tune opus esse putas, cum de aetatibus atque ingeniis scriptorum Graecorum et Romanorum dudum disputare consuerimus, cum, quae fuerit Athenis et Romae contionis, iudiciorum, aerarii forma et administratio, perdidicerimus, remeare nos rursus ad singulos libros, pedetentim verba et syllabas percensere, quae constructio debeat esse, quae non debeat; qui sensus insit, qui non insit; quis interpretum verum viderit, quis, qua in re, quam ob causam lapsus sit, discere: quae quidem omnia facile, si quando opus sit in contentionibus philologorum, ex commentariorum comparatione sumi posse, sed longe melius esse, si nunquam opus sit?

Ego vero, auditores, sed quid me dico, qui sciam communem esse hanc praestantissimi cuiusque philologi sententiam? Nos igitur accuratam quamque scientiam nasci non posse credimus nisi ex repetita nec unquam omissa singulorum scriptorum exploratione, et hac ipsa re distare historicorum, qui vulgo appellantur, et philologorum cognitionem antiquitatis, quod illi generalem quandam *rerum* scientiam expetant, hi vero subtiliter eandem ad fontes eorumque interpretationem referant. Quid vero quod, si forte subtilis illa interpretandi ratio atque exercitatio negligatur aut omittatur, facile res eo ventura est, ut homines dediscant ipsum illud intelligere? An vos hoc fieri non posse putatis in re tam facili? At facilius est, quod adhuc studiose exercitatur. Verum exempla in promptu sunt etiam doctissimorum virorum. qui caeca quadam cupidine rerum, quas in-

venire volebant, rapti (etiam aestheticas quasdam opiniones dico, ad philosophiam rerum pertinentes) quae aliis simplicissima videntur verba, partim plane non intellexerunt, partim ita torserunt, ut existere tandem aliquando sensum, quem expetissent, laeti propemodum ipsi admirarentur. Quid quod totae aetates suis opinionibus praeiudicatis captae clarissima quaeque in verbis scriptorum non viderunt, qualia exempla in theologorum et iurisperitorum disciplinis non raro reperiuntur.

Ab his erroribus philologiae studium recte exercitatum studiosos sui tuetur. Ac nescio an hic maximus fuerit huius disciplinae fructus. Intelligendi enim ars maxima est maximeque necessaria, nec separari potest ab arte cogitandi et dicendi. Quin, si recte spectatis, cum, quidquid agas, aut invenire sit, aut quod ab aliis inventum est, recognoscere, pleraque autem quae inventa sunt, litteris contineantur: apparet alteram partem artium et disciplinarum fere omnium philologia quadam *generali* contineri. Quocirca maxime dolerem, si error ille nasceretur aut latius serperet, confecta et composita quadam antiquitatis scientia, interpretationem singulorum scriptorum in universitatibus litterariis omitti posse. An illam rem scholis minoribus absolvi putatis? Immo vero in plerisque (sunt enim exceptiones, partim insigni magistrorum praestantia, partim egregia discipulorum sobole) in plerisque tenuiter tantum inchoatur. Qui enim fieret, ut, cum tot adolescentes e scholis quasi cum absoluta cognitione philologiae dimitti quotannis videamus, tam pauci inveniantur, qui viri facti, praestantissimorum veterum scriptorum, quos omnis aetas laudavit, lectione otium suum oblectare aut velint aut possint? Eheu! quam illi perennem fontem nobilissimae virtutis atque honestissimae voluptatis omittunt!

Atque cum initio viderimus, quanta res sit intelligere auctorem antiquum, id est, non solum verba verbis reddere, sed penetrare in eius sensus et consilium et artem et aetatem et res descriptas, illudne fieri posse existimatis, ut in scholis minoribus absolvatur? Tantum abest, ut hoc fiat, ut ne nobis quidem, qui in his studiis aetatem consumpsimus, gloriari liceat, cum *multis* nos scriptoribus tantam familiaritatem contraxisse, qua opus sit, ut in eorum interpretatione philologica non dico aliis (nam hoc quidem longe facilius fuerit) sed nobismetipsis satisfacere possimus. Num dico quod mirum vobis accidat? Certe collegis meis, viris doctissimis, non accidet. Nam aliud est sibi intelligere, aliud accurate interpretari, id est, non dicere quid verum sit, sed explicare cur verum sit, et perreptatis omnium falsarum opinionum latebris convincere, sic esse et aliter esse non posse, errorumque segetem radicitus extirpare. Et cum certissime

confidamus, tanta nos et universae eruditionis supellectile et totius antiquitatis cognitione imbutos esse, ut nullam non antiquitatis partem aut scriptoris argumentum, si opus sit et tempus detur, explicare cum fructu possimus: tamen intelligimus, ad *omnia* partim tempus nobis deesse, partim animum, ac sentimus vere dictum esse illud *nihil invita Minerva.* Oportet enim facile et libenter facias, si recte tibi quidem facias.

Atque hoc commodum est magnarum universitatum, qualem hanc nostram esse iure omnes laetamur, ubi pro studiorum diversitate, cum tamen omnes eandem sententiam de universa re, idemque propositum habeamus, facile unusquisque in amplissima disciplina invenit, non solum quod ipse agat, sed quod cum fructu doceat. Haec tot et tantarum virium coniunctio non solum iuventuti studiosae, nostris curis commissae, sed proderit etiam ipsis doctoribus, quorum alter ab altero opem et consilium expetere possit. Quid quod philologi professio ne aliarum quidem plurimarum artium et disciplinarum commercio et adiumento ullo pacto carere potest, physicorum, mathematicorum, iurisperitorum, theologorum, reliquorum omnium. Quocirca gaudeo, viri illustrissimi, me in coetum vestrum receptum esse, quod iam propioris cuiusdam collegii iure a doctrina et humanitate vestra mearum virium adminicula petere possum. Atque sicut ego vobis spondeo ac promitto, me nulla in re ab utilitate communi dissensurum, ita vos rogo atque oro, ut me in gratiam amicitiamque vestram admittatis. Dixi.

ORATIO NATALICIIS FRIDERICI WILHELMI III. REGIS BORUSSORUM CELEBRANDIS AUCTORITATE UNIVERSITATIS LITTERARIAE FRIDERICAE GUILELMAE D. III. M. AUG. A. MDCCCXXXVIII HABITA.

Negotium hoc, quod subito mihi superiorum mandatu impositum est, verba faciendi hoc die festo in splendidissimo conventu vestro, viri illustrissimi, doctissimi, commilitones humanissimi, mentirer si dicerem mihi non videri difficillimum. Nam cum multa simul animum meum perturbent, locus insolitus, rei novitas, expectatio hominum: tum argumenti gravitas, qua nescio quemadmodum recte defungar, magnopere me sollicitum habet. Movet enim me regis persona, quae ora-

torem vetat quicquam ab huius diei sollemnitate alienum proferre, movet vester conspectus, collegae, qui vulgaria contemnitis, movet etiam exemplum et auctoritas viri magnifici, qui per tot annos continuos hoc negotio ita functus est, ut difficilem successori viam aut imitandi aut non imitandi reliquerit. Nam et tam apte de universis optimi regis virtutibus dixit, ut velint omnes, tam copiose et abundanter de singulis, ut nemo possit ad eandem rationem dicere. Et quis sum ego, qui audeam in hoc consessu virorum illustrium regis imaginem describere, cuius benivolentiam et humanitatem et liberalitatem reliquasque virtutes plerisque eorum contigit, ut propius quam ego, et in semet ipsis experti cognoscerent. Quodsi verba mihi facienda essent inter peregrinos, qui regem nostrum aut non nossent aut non amarent, nullum sane argumentum esset, in quo facilius eloquentiam depromerem: sed in hac urbe, in regni sede, in ipso prope conspectu regis dilectissimi laudes eiusdem persequi, non inani strepitu verborum, sed nove, et accurate, et sicut ipsius augustissima persona dignum est, rem esse arduam, quae et eximium ingenium et diuturnam meditationem desideret, etiamsi regis amore nulli concedo, libere fateor, auditores.

Sed erigit me et confirmat inter has curas simplex cogitatio officii mei. Nam cum considero quid muneris mihi quidem impositum sit, non hercle invenio, laudandum mihi esse eum regem, quem tot pectora, tot voces unanimi consensu laudant, quem orbis terrarum agnoscit, cuius laudes iam historia generis humani loquitur, sed nihil aliud proprie a me postulari, nisi ut collegarum nomine et vota solvam anno superiore pro salute regis optimi suscepta, et nova nuncupem pro eiusdem regis regiaeque stirpis incolumitate et statu rei publicae, quo nostrae quoque universitatis flos continetur. Laetitiae igitur votorumque vestrorum cum interpretem me esse iusseritis, collegae, non discedam ego longius ab argumento mihi proposito, et in hac ipsa laetitia publica laetus commorans in rationibus et causis horum sollemnium, quae cum ad universum populum Borussorum tum ad universitatem nostram pertinent, orationem meam continebo.

Nam ferit animum meum et excitat popularis laetitia, qua concelebrari hunc diem video. Concentus musici circumstrepunt, festa plebs in propinquos urbi lucos effunditur, coetus et convivia habentur, spectacula obeuntur, nox ignibus artificiosis collustratur, amoenitas locorum cantibus et saltationibus resonat: regis nomen ubique cum gratulatione celebratur. Hac me quoque intimis sensibus affici laetitia, sicut unum de plebe, fateor libenter. Quid vos, auditores? Nonne gaudetis populi gaudio? nonne regis hoc esse praeclarissimum praeconium putatis? Neque fugere quemquam vestrum opinor, audi-

tores, quotquot longiore memoria utimini, quotannis augeri solitam esse hanc populi laetitiam, adeo ut iam lascivia plebis, quod vehementer doluimus, severis edictis coercenda fuerit. Quid igitur factum est, auditores? unde natam vel auctam potius existimatis hanc huiusce diei popularem hilaritatem? Nam olim quidem, quamquam numquam non regum nostrorum dies natales piis civium votis celebrati sunt, abfuit tamen haec popularis et exultans laetitia. Vtrumne igitur vim quandam gliscentem ipsa consuetudo habet, qua per tot annos (utinam multi supersint alii!) regem optimum hoc die populo natum esse gaudemus? An est ut cives nostri opulentiores facti, quam antea, feriandi laetandique causas, anni temporis amoenitate adiuti, cupidius arripiant? Non ego negarim has quoque causas nonnihil valuisse, sed aliam esse interiorem ac potentiorem mihi persuasi hanc, quod populus, et suis olim incommodis et aliorum populorum discordiis et calamitatibus edoctus, magis quotannis intelligit patrio se regi imperio, suamque salutem cum regis salute atque perpetuitate stirpis regiae artissime esse coniunctam.

Etenim recordor, quemadmodum inter ipsas regni Borussici angustias populus hostilibus armis oppressus primum regis nostri ac reginae, excellentissimae feminae, natales sua et quasi clandestina laetitia celebrare coeperit: cum irascerentur homines, diri hostium imperatoris natalem mortariorum tormentorumque bellicorum fragore, tympanorum cymbalorumque clangore, ludorum theatralium largitione, domuum illuminationibus iussis et coactis agitari, nostri regis, tum maesti et absentis, nullo apparatu publico celebrari. Illud fuit tempus, cum populus agnovit suam salutem regis incolumitate contineri: et ex illo tempore hunc diem festum, non indictum, sed sponte sumptum, laetitia quotannis maiore et turbulentiore, quod plebis solet esse ingenium, agitari coeptum esse meminimus. Sacra igitur iam extiterunt anniversaria regi patriaeque communia, publica professio proditur, indiscreta populi regisque esse commoda, unam utriusque salutem.

Et rectissime factum est ab ordine decurionum huius regiae urbis, quod anno priore laetitiam plebis, quae sibi soli permissa in pravitatem solet incidere, municipali sumptu regendam quodammodo, dum adiuvant, susceperunt. Nam prudentium gubernatorum est, non minus negotia civium ad industriam, quam otia et ludos ad elegantiam et modestiam dirigere. Non provocatur laetitia populi praebendis spectaculis, quod apud vicinos nostros Gallos his ferme isdem diebus videmus fieri, sed regitur et temperatur. Itaque gaudeo fundamenta quodammodo posita esse civilis ac popularis festi, quod cum a populo inventum sit, adiuvetur paululum magistratuum cura, singulorum

honesta aemulatione. Ac nescio quomodo versantur ante animum exempla antiquorum populorum, apud quos laetitia publica, sobrie ac modeste habita, plurimarum bonarum artium mater et nutrix fuisse, neque multo minus quam vetusta originis memoria, aut religionum communio, ad copulandum populum valuisse traditur. Non ego desidero mutum pomparum splendorem, aut sanguinolenta bestiarum et gladiatorum certamina, sed corporum certationes honestas et elegantes, artificiorum expositiones, fabularum poeticarum actiones, concentuum musicorum voluptatem, quibus artes aluntur et ad multitudinis cognitionem commendantur.

Ac vere dicam quod sentio: vetus hic populus Borussicus magis etiam quam ullus alius mereri mihi quidem videtur, cuius etiam remissionis honestae aliquam curam gerant magistratus. Quid enim, auditores? Ullumne populum esse putatis, qui maiore omnium virium contentione ex infelicissima aetate belli tricennalis usque ad libertatem Germaniae ex oppressione Gallorum recuperatam, continuis laboribus militaribus et privationibus domesticis, rei publicae causa patienter susceptis, exercitatus sit? qui ex tam tenuibus rei publicae exordiis principum nostrorum fortitudine ac sapientia, sua industria et obedientia, ad hunc laetiorem statum evectus sit? Habet in ea re similitudinem quandam cum vetere populo Romano, quem ex historia didicimus non felicitate sua, sed fortitudine ac patientia imperium constituisse. Ac ne nunc quidem remittendum esse de contentione virium intelligimus omnes. Laudantur alii populi, quod in pinguibus agris et sub clementissimo coelo constituti commodius vitam degunt, alii, quod maribus cincti aut montium propugnaculis septi aut camporum latitudine separati facilius sese a periculis bellicis defendunt: nos inter potentissima regna interiectos, nullis naturae praesidiis tutos, agrorum fecunditate destitutos, necesse est industria nostra et parsimonia a paupertate, fortitudine et concordia a periculis defendi. Sunt qui continuam aliorum populorum hilaritatem laudent, apud quos ipsum religionis Christianae exercitium cum oblectatione plebis coniunctum est: nos et morum severitas ab effusa laetitia prohibet, et religionis ratio a sensibus ad mentis contemplationem revocat. Quocirca si quem diem populus noster laetitia celebrandum sibi sumpsit, videtur id illi tanto facilius permittendum esse, quo rarius evenit, curandumque ut ipsa laetitia ad elegantiam dirigatur et honestatis adiumentum habeat.

Atque hoc rex noster prudentissime intelligit, qui tantum abest ut laetitiae populi invideat, ut adiuvet etiam et laetantium circulis laetus intersit ipse. Nam quod ab huiusce diei laetitia abesse mavult, id omnes scimus non fieri tristitia morum, sed praeclara illa

modestia, qua semet ipsum eximiis honoribus mactari non cupit, et admirabili humanitate, qua veretur, ne augusta sua praesentia reliquorum incompositam laetitiam turbare videatur.

Itaque recte mihi augurari videor, fore ut, etiamsi aliquando, quod absit longissime, hoc rege orbatus fuerit populus, tamen tertius Augusti dies nunquam festum populare desinat esse, quo laeti reminiscantur cives, sibi in prosperis adversisque fatis regum suorum Friderici Magni et Friderici Wilhelmi Iusti et Pii excelsas imagines tamquam signa praeluxisse, quae secuti damna fortunae repararint, gravissima bella vicerint, pacis emolumenta largiter perceperint. Hac memoria laete repetenda coniungantur cives, meminerintque se unius familiae liberos esse: et sicut legimus veteres gentes, civitatibus divisas, certis diebus festis communiter agitandis sese agnovisse, sic hoc die festo concelebrando Borussi omnes sese agnoscant. Aperiuntur pectora laetitia, curae pelluntur, invidiae removentur. Quocirca ubicunque Borussi coniunctim tertium Augusti celebrant, patriae principisque sui caritate perfusi, patriique honoris sensu inflammati, obliviscantur dissensionum atque aemulationum, quae in magno populo incidere nonnunquam solent, et Borussos omnes sese meminerint esse, laetorum ac tristium consortes.

Sed revocant me a communi omnium civium laetitia ad sese haec nostra sollemnia, iubentque cogitare quid sit cur universitas potissimum hunc diem, quanto maximo potest apparatu, celebret. Nam cum multa sint alia nostrae civitatis quasi corpora, iudicum, causidicorum, mercatorum, artificum collegia, ea quidem omnia nobiscum una communi laetitia perfruuntur, sed tamen peculiari opera non fere conferre quicquam solent ad augendam publicam huiusce diei sollemnitatem, ut sit prorsus quod gaudeamus, nos imprimis delectos esse, quibus hoc publicum quoddam officium committeretur.

Sed una quidem causa statim apparet maximeque perspicua est, quod haec bonarum artium omnisque eruditionis schola singulari quadam regis providentia, liberalitate, benivolentia condita atque ornata est. Itaque laetamur unum nobis diem datum esse, quo publice profiteamur, quantam regi principibusque nostris gratiam habeamus, quod communem hunc quasi portum litterarum refertissimumque optimarum artium mercatum aperuerunt, quod subsidiis eruditionis locupletissimis instruxerunt, quod privilegiis maximis ornarunt, quod eximia denique benignitate sustentant, fovent, adiuvant. Neque est quod dixerit aliquis, ea referri omnia non minus ad utilitatem rei publicae, quam ad honorem litterarum atque praestantiam, nec in ea re magis benivolentiae argumenta, quam necessitatis remedia reperiri. Magnopere falluntur qui sic existimant, nec intelligunt quantum intersit inter

largitionem liberalem et angustam necessitatem. Velut hic ipse locus, quo ad tempus utimur, dum nostra domus instauratur, nos admonet, quantos sumptus rex faciat, ut universitas non solum commode, sed etiam laute ac magnifice habitet. Quodsi quis peregrinus in hanc regiam urbem ingressus per vias longe directas vicosque apte descriptos usque ad medium quasi sanctuarium urbis penetraverit, et inter domos regias, exadversum ipsum regem, aedes nostras extolli ornarique viderit, fatebitur sine dubio litteras apud nos non vulgari in loco, sed summa et singulari principum nostrorum cura dignas haberi. Quid vero quod privata regis regiaeque gentis benignitas plurimis commilitonum nostrorum velut fons quidam inexhaustus ultimumque refugium sedulitatis improsperae patet? Huic igitur regi, merito facimus, commilitones, quod quacunque re possumus dictis factisque venerabundi gratiam referimus, eiusque natales votis laetissimis concelebramus.

Veruntamen contra dici potest, regis benivolentiam totum populum ita complecti, ut nullus ordo, nullum collegium, nullum hominum genus sit, quin eam pro merita parte experiatur. Quod cum negari nullo modo possit aut debeat, aliam quoque causam intelligo esse, cur hoc pium officium regiorum nataliciorum celebrandorum universitatibus potissimum mandatum sit a sapientissimis viris, qui hoc primum instituerunt. Neque enim haec universitatum sollemnis celebratio regiorum nataliciorum antiqua res apud nos, aut more tradita vetusto, cuius origo reperiri non queat, sed fere cum hac ipsa universitate nata est et instituta. Quam igitur hanc causam esse dicamus aliam, quam quod prudentissimi viri recte intellexerunt, nusquam sanctius, nusquam firmius, quam in universitatibus, regis patriaeque amorem et ali et ali debere? Etenim ubi magis consentaneum est patriae caritatem florere, quam ubi iuvenes honestissimi et doctissimi congregantur, litterisque et artibus praeparantur, ut ad varias rei publicae partes administrandas idonei fiant, unde discedunt ad vitam publicam referendamque patriae gratiam beneficiorum acceptorum? Cuius rei rationem ut penitus intelligatis, recedite, oro vos, auditores, memoria in illud tempus, quo primum haec universitas condita et instituta est. Hostilibus armis circumdati, separati, oppressi eramus: regnum misere discerptum: una spes supererat, intimis pectoribus condita, quam positam habebamus in regis sapientia, ministrorum fidelitate, totius nominis Borussici consensu. Tum hic pius mos instituti coepit, ut in nataliciis regiis conveniremus et contemplanda inter angustias fortunae felicitate nostra vota renovaremus, tacitoque mentium consensu iuraremus, cum hoc rege Borussos nos victuros, Borussos morituros. O sancte amor patriae, tu nos coniunctos

tenebas, tibi confidimus, per te vicimus! Quid vero, auditores ornatissimi? Numquisnam dubitat quin illo tempore magnae fuerint partes universitatum in sanctissimo hoc igne conservando? Immo fuisse maximas omnes agnoscunt. Hic alebatur regis amor, patriorum institutorum caritas, odium peregrinae improbitatis, spes recuperandae libertatis, restituendaeque maiorum gloriae ab hostibus conculcatae. Neque illa spes frustra fuit. Deus, deus inquam, qui pectora hominum virtute inflammat, dedit nobis quod seniores iam sese visuros esse desperaverant.

Abiit illud tempus, quies restituta est, nationes tum quidem saevo turbine commotae, iam amicitia coniunctae et artium litterarumque vinculis copulatae pacis emolumentis perfruuntur, non armis, ut olim, se pessundare, sed industria, doctrina, humanitate inter se excellere student. Nec eo tamen secius patriae patrisque patriae amore opus est, quem in universitatibus aeque a nobis magistris atque ab alumnis disciplinae nostrae ali alique debere dico. Nam, per deum immortalem, ubinam niti dicamus salutem patriae, nisi in scholis atque in his scholarum principibus universitatibus? in quibus nisi iuvenes instituuntur ad pietatem, doctrinam, humanitatem, modestiam, atque instituuntur, non quia sic necesse est, sed bene merendi causa de rege, de populo, de patria: actum est de re publica.

Nam his tribus vocabulis unum eandemque rem significari gaudemus. Etenim sic nos vivimus Borussi sub regno, ut nullum sit discrimen inter populum et regem: eaque coniunctio debet esse perpetua, ut numquam illud inducatur quasi animi et corporis discidium, aut aliud conducere posse regi, aliud populo patriaeque dicatur. Inducuntur enim invidiae, malevolentiae, suspiciones, odia, quibus nulla mala possunt esse turpiora magisque civitatibus perniciosa. Itaque sic agimus natales regis nostri, ut patriae ipsius natales celebremus, atque iidem recordemur, quantum, quam sanctum, quam late patens officium nobis impositum sit. Ac nescio, hercule, an nulli civium aut magistratuum ordini munus demandetur gravius, quam nobis professoribus, ut stirpem gentis nobilissimam sic instituamus, ut regi patriaeque honeste velint et recte possint servire. Nos quidem, quod possumus, facimus, ut solidissima doctrinae fundamenta tradamus, ut ea, quae vera et iusta et honesta et decora sunt, sine ambitione praecipiamus, ut denique exemplo nostro doceamus, officium, quod cuique a re publica impositum sit, reliquis omnibus rebus esse praeferendum. Reliquam institutionem ipsa res publica perficiet, cuius ordo et admirabilis descriptio, sicut pulchrum aedificium ingressos, amore et admiratione implebit.

Sed magnopere falluntur, si qui sunt qui putent litterarum tra-

ctationem, quae fiat in universitatibus, prorsus seiunctam esse a patriae caritate, quippe quas partim ad vitam communem non pertinere, partim generales esse dicant et omnium gentium, omnium terrarum communes: aut qui existiment, etiamsi pulchrum honestumque sit eas referri ad patriam, non tamen fere professores id solere curare, quippe qui satis habeant, quae ipsi cogitando reppererint, tradere, legum civitatis, in qua doceant, et ipsorum auditorum incuriosi. Falluntur, inquam, magnopere: nam quod aiunt litteras patriam non habere, nae illi ieiunas ac steriles intelligunt litteras quasdam, a quibus non sit frequens regressus ad vitam moresque, omittuntque litterarum concentum, qui maxime in universitatibus petitur: aut non intelligunt maiore illa patria, in qua litterae versantur, etiam minorem hanc contineri, quae quo propior est, eo debet certiores ac maturiores litterarum fructus percipere. Quod autem alii professorum illud esse vitium volunt, quos quia nonnunquam locum mutare vident, patriae non tangi caritate clamant: non eum nos patriae amorem intelligimus, quem habet colonus glebae ascriptus, sed qui sit cum libero iudicio et certa spe virtutis exercendae coniunctus. Neque enim mutum et inane solum patria est, sed cives et res publica, quam multi non primis annis, sed aetate composita nacti tanto cupidius amplectuntur, quo diutius caruerunt. Qui autem fieri potest, ut hi rem publicam non ament eam, cuius cives nobilissimos quotidie summo cum labore erudiant, cuius famam doctrinae et humanitatis ut augeant dies noctesque laborent, cuius denique ipsi partem non minimam, sed re vera maximam et praestantissimam administrent.

Quae cum ita sint, gloriemur sane, collegae, nos imprimis delectos esse qui parentis patriae diem natalem statis sollemnibus celebremus, quod nullus sit ordo civium, apud quem firmius ac sanctius amorem patriae coli foverique consentaneum sit.

Sed quid dico de vobis, iuvenes humanissimi, commilitones, qui quidem prae ceteris convocamini ad concelebranda haec sollemnia? Num cui dubium esse potest, quin vestrae sint maximae partes in regiis nataliciis pie celebrandis, aut quin a vobis merito postuletur, ut sancto regis amore ceteros omnes iuvenes praecedatis? Nam cum easdem laetandi gratulandique causas habeatis, atque nos professores, tum vos ii estis, in quibus et rex et patria magnam spem futurorum eventuum repositam habeant. Ac ne quis dicat, hoc ad alteros quidem vestrum pertinere, quibuscum haec terra et haec res publica ipsa nascendi condicione coniuncta sit, non pertinere ad eos, qui ex peregrinis terris huc ad mercatum litterarum convenerint: cum in scholis academicis, in privilegiis studiosorum iuvenum, in omni humanitate vitae discrimen non fiat inter populares huius regni et alie-

nos universitati nostrae ascriptos et in nostrum ordinem receptos, ne in communi quidem gratulatione discrimen fieri debet. Ac sicuti festa domestica non ab iis solum obiri solent, qui in eadem domo nati sunt, sed laetitia augetur invitandis hospitibus atque amicis: sic hoc Borussorum quasi festum domesticum non a Borussis tantum, sed ab omnibus, qui bene regi populoque nostro volunt, celebrabitur.

Ac vos quidem, commilitones, singularem quandam causam habetis amandae et admirandae regis benivolentiae ex eo, quod aliquot abhinc annis institutum est. Praestiterit forsitan non movere Camarinam, quod in proverbio dicitur, sed ego tamen ne hunc quidem locum reformido, quia vel maxime ad eam rem, de qua adhuc dixi, pertinet. Nam cum sine dubio maximum sit officium boni civis eiusque qui rem publicam vere amat, agere omni virium contentione quod cuiusque et aetatis et loci et muneris est, iuvenum autem in universitate versantium proprium munus sit litteris operam dare, in easque fortiter incumbendo praeparare sese ad eam rei publicae partem administrandam, cui admoti fuerint, ipsique sese destinarint: fuit aliquando, cum funestus error, temporum perturbatione nutritus, improvidam iuventutem abriperet, ut non pauci agere mallent, quod nec aetatis, nec experientiae, nec officii ipsorum esset. Qua re cum tot infelices iuvenes optimos vitae annos perdidissent (nam ne quid gravius dicam, benignissimi regis fecit clementia), rex eiusque ministri, prudentissimi viri, qui multo mallent cavere ne peccaretur, quam peccata graviter ulcisci, studiorum illecebris auctis, certamina litteraria instituerunt, quibus perpetuo admonerentur iuvenes, quid ipsis esset elaborandum, praemiaque lautissima proposuerunt, quae publica cum laude hoc die festo tribuerentur victoribus. O praeclarum remedium erroris! O eximiam aemulationem doctrinae atque industriae! O studiorum incitamentum, non ad hos solum qui vicerint, sed ad reliquos omnes pertinens! Utinam plures quotannis in hoc stadio decurrant, et optimo regi meritam gratiam sua cum laude referant. Quamquam, commilitones, si quis recte consideret, vix opus quidem videtur fuisse novis atque insignibus praemiis. Tot sunt in hac universitate incitamenta studiorum, tot societates litterariae publice institutae et a nobis professoribus rectae, ut iam nemo desiderare possit curriculum industriae cum honesta inter aequales oblectatione coniunctum. Huc incumbite, commilitones, hac ratione privatim quoque in litteris versamini, hoc pacto dum ad publicam rem gerendam vos praeparatis, servite voluntati regis, servite patriae, et re bene gesta communia utriusque natalicia laetabundi obite.

Te vero, deus optime maxime, precamur, ut civium cum reliquorum tum academicorum studia demerendae patriae fortunes, ut

nostrum magistrorum collegium, gravibus nuper damnis affectum, sustentes, confirmes, viribus augeas, ut et litterarum lucem propagare et patriae prodesse et regis voluntati propensissimae respondere tantum, quantum cupimus, possimus: imprimis vero precamur, ut regem ipsum, parentem patriae, regnique successorem, alteram spem nostram, totamque regiam domum incolumem serves, statumque rei publicae, qui illorum nititur sapientia atque incolumitate, sicut adhuc fecisti, tueare perpetuo. Dixi.

Gedruckt bei A. W. Schade in Berlin, Grünstr. 18.

mit der Zusammenstellung der ähnlichen oder identischen Formen, sondern sucht wo möglich deren Ursprung zu ermitteln.

Der Inhalt der iguvinischen Tafeln besteht aus einer genauen Darstellung von Opfergebräuchen, namentlich wie sie bei Ambarvalien in Anwendung kamen. Die Auspicien sind darin in einer Ausführlichkeit dargestellt, wie wir sie aus den Ueberresten der römischen Auguralbücher kaum gewinnen. Eingeflochten sind gröfsere Gebete an verschiedene Gottheiten. Alle diese Gegenstände durch die Vergleichung des römischen Kultus und Sammlung der bei den einzelnen römischen Antiquaren sehr zerstreuten Nachrichten ins Licht zu setzen, ist im zweiten Bande versucht worden. Zugleich werden in diesem Theile die im ersten aufgestellten Formen ausführlich begründet und die sprachliche Deutung der Denkmäler so geübt, dafs die Verfasser sich stets der Grenzen bewufst bleiben, welche durch die Dunkelheit des Gegenstandes gesteckt sind und deren Ueberschreitung ihre Vorgänger in sehr sonderbare Verirrungen geführt hatte. Durch das beigefügte vollständige Glossar und den genauen Abdruck der Tafeln sind die Leser nach allen Seiten in den Stand gesetzt, sich ein selbstständiges Urtheil zu verschaffen und die noch nicht zum Abschlufs gelangte Forschung weiterzuführen.

Ferner ist erschienen:

VERHANDLUNGEN
DER EILFTEN VERSAMMLUNG
DEUTSCHER PHILOLOGEN, SCHULMÄNNER UND ORIENTALISTEN
IN BERLIN
VOM 30. SEPTEMBER BIS 3. OCTOBER 1850.

18 Bogen. gr. 4. geh. 1 Thlr. 10 Sgr.

Von den werthvollen in denselben niedergelegten Vorträgen und Abhandlungen heben wir aufser der gehaltvollen Eröffnungsrede von BOECKH nur noch folgende hervor: GERLACH, die Sage über Rom's Gründung; SCHEIBE, vergleichende Characteristik der griechischen und römischen Beredtsamkeit. — Aufserdem enthalten dieselben die Protocolle der pädagogischen Verhandlungen über die pädagogischen Skizzen von Mützell.

Wir empfehlen dieses Werk namentlich zum Ankauf für öffentliche gelehrte und Gymnasial-Bibliotheken.

ÜBER SCHULE, UNIVERSITÄT, ACADEMIE.

Eine in der Academie der Wissenschaften am 8. Nov. 1849 von Jacob Grimm gehaltene Vorlesung.

40 S. gr. 4. geh. 15 Sgr.

Berlin im Mai 1851. Ferd. Dümmler's Buchhandlung.